



Primae lineae notitiae rerum publicarum : in usum auditorum Everardi Ottonis

<https://hdl.handle.net/1874/188440>

PRIMÆ LINEÆ
NOTITIÆ

RERUM PUBLICARUM.

IN USUM AUDITORUM

EVERARDI OTTONIS,

Juris Civ. & Publ. Prof. Trajectini.



TRAJECTI ad RHENUM;

Apud **JOANNEM VISCH,** Bibliopolam.

clō lo cccxvi.

Cicero lib. III. de Legib. c. 8.

*Est Senatori necessarium nosse Rempubli-
cam; idque late patet; quid habeat
militum, quid valeat ærario, quos
respublica habeat socios, quos amicos,
quos stipendiarios; qua quisque sit lege,
conditione, federe: tenere consuetudi-
nem decernendi, nosse exempla mayo-
rum. Videtis jam, genus hoc omne
scientiæ, diligentie, memoriam esse,
sine quo paratus esse Senator nullo pa-
cto potest.*

EVERARDUS OTTO,
AUDITORIBUS

O. & S.

EX quo tempore Jus Publicum in
Academiis docere coepi, nihil mage
fuit in votis, quam ut omnes, qui-
bus aut decus familia, aut virida
vis ingenii partem Reipublica spon-
det, talis aliquando invaderet at-
tentio, qualem gravissimus Historicorum Sallustius
de se profitetur. Is, quum ab ineunte etate, mul-
ta in historiarum monumentis legisset, qua domi mi-
litiaeque, mari atque terra, praclare gesta fuerant,
omnia deinde ad meditationem prudentiae civilis se
retulisse scribit: cum animo suo reputando, que
res maxime tanta sustinisset: quibus modis cla-
rissimi viri magnitudinem invenissent: quid tantis
autibus auxisset nationes: quibusve causis amplif-
sima imperia corruissent: tandem eadem semper bona
& mala se reperisse testatur: alios quidem successisse
homines, nunquam alios mores, omnesque genes
eisque prospero imperio esse usas, dum apud eas
vera consilia valuerunt. Tunc autem magis deside-
rium hoc accendebatur, si cogitabam, Academias
omnium utilium & elegantium literarum officinas ef-
se, & precipuum eruditionis decus ad utilitates vite,
non privata tantum, sed publica in primis, in cujus
tutela

* 2

PRÆFATIO.

tutela sunt omnia, referri debere: neque aliam in finem honestissimi generis propagines ad hac emporia sapientia mitti, quam ut illis scientiis imbuantur, quibus viri aliquando facti, in Republica & Ecclesia regenda, sint usuri.

Dolui ergo & saepe dolui, Nobilium quorundam errorem, qui tam necessariam studiorum partem aut fastidiunt, aut ignorant; quique sine cognitione Historiarum, sine lumine Geographia & sine sensu prudentia civilis, remis velisque ad ceteras convolant nationes, ut templa, palatia, armamentaria, comœdias, aliaque id genus ludicra tantum contemplantur, quum Reip. ad quam tendunt, notitiam prius sibi comparasse oportebat, ejusque populi leges, indolem & Aulas nosse, Ulyxis exemplo, qui multorum providus urbes & mores hominum inspexit. Sic autem hodie vivitur, ut multos quotidie videamus, agrorum more, lectos crebro mutantium, peregrinationes suscipere vagas, sine meta, aut portu; ita ut cum diu multumque littora pererrarint, nil præter externos domum referant gestus, & animi corporisque morbos, serioque testari possint, se homines pedibus ambulantes, non capitibus, vidisse. Alii contra, diutius quidem aliquanto prorogant studiorum tempus, sed primis tantum incrementis ac miscellis definitionibus adhaerescunt; non tam ingenii hebetudine, quam ignorantia eorum, qua ad solidam eruditionem faciunt, & justum vite Academica fructum.

Huic autem morbo late grassanti, ut pro virili mea occurrerem, Notitia Rerump. operam dare cœpi;

P R Æ F A T I O.

*cœpi; tum ut ea, velut jucundioris disciplina la-
 cte, erectioris indolis pectora incitarem, ad ne-
 glecta vulgo studia Humaniorum literarum & Hi-
 storia universalis, alacrius excolenda: tum etiam
 ut spartam Juris Publici, in hac illustri Acade-
 mia, mihi mandatam, plenius exornarem; que
 in legibus, judiciis, successionibus, comitiis & for-
 mis rerump. explicandis consistit, quibus Europæ
 civitates reguntur. Latiores quippe Juris publici
 sunt fines, quam ut unius Germaniæ terminis in-
 cludatur: habent Britanni suum jus publicum;
 habent Belgæ fœderati; nec minus diffusum Hel-
 vetii: id vero quis explicabit, aut explicavit un-
 quam, nisi qui juris gentium & civilis prudentiæ
 principiis fuerit instructus? Omnia præterea cum
 jure publico Romano Germanico tam arcto nexu
 sunt colligata, ut sine piaculo divelli nequeant.
 Neque dubitandum, in Germaniæ Academiis,
 sub titulo Juris Publici, illam Notitiæ discipli-
 nam Jctis demandari, scribit Hertius, de Notit.
 sing. reip. §. 2. Neminem etiam Eruditorum, his
 in oris, credo, fore, si modo idoneus veræ & non
 simulate eruditionis arbiter fuerit, qui in dubium
 vocare audeat, num qui hanc operam, satis mole-
 stam, suscipiunt, ob salutarem humanæ vitæ &
 literis susceptum conatum, favorem mereantur.
 Mihi sane, fato ad invidiam usque felici, letari
 licuit, qualecunque institutum hoc meum non dis-
 plicuisse Viris Nobilissimis & Amplissimis, Aca-
 demia hujus Curatoribus sapientissimis: nam &
 ipsa hac Urbs, propter vitæ elegantiam, soli quasi
 * 3*

PRÆFATIO.

et cœli ingenio, ad id composita esse videbatur, ut hujusmodi studiorum sedes esset et magistra, quibus et civium et exterorum animi, ad regendam olim Remp. perducerentur.

Verum enimvero quia eo redacta est prudentia civilis, ex Notitia rerumpublicarum haurienda, ut pauci ejus nomen, paucissimi faciem ejus in Academiis nostratibus noscant; nonnulli autem Censores, eam, velut literis et moribus exitiosam, quinimo, tanquam morstrum, quod a tergo leonem, vulpem a fronte, cetera ungues anguesque Gorgoneos referat, apud incautos crimentur: operæ pretium esse duxi, paulo prolixius, et ultra præfationis modum, hic ostendere, quam utilis et necessaria, in Academiis, reip. seminariis, ea sit doctrina, et intra quos virtutis, justitiæ et disciplinarum cancellos ea coercetur; nullusque dubito, quin omnes, quibus cura et cordi sunt literarum, magis magisque labentium, incrementa, mihi assensum sint prabituri.

Jam olim Petronius, prudens studiorum Arbitr, recte judicavit, Adolescentes in scholis stultissimos fieri, qui nihil ex iis, qua in usu sunt, audiunt aut vident, et hoc tantum proficiunt, ut cum in Senatum, in Forum et Curias venerint, patent, se in alium terrarum orbem esse delatos. Nostrum autem seculum, æque fastidiosum, non minora requirit, ut quis hominis, eleganter literati, decus sustinere, et in tanta eorum, qui in literas incumbunt, copia, aliquo præ aliis loco esse possit, quam ut multis rationibus utilitas studii

PRÆFATIO.

dii illius commendanda sit. Totum enim vita, non schola comparatum est, & in constituenda cognoscendaque republica versatur; quapropter Regum sapientissimus sapientiam, Cicero artem magnitudine præstabilem; Plutarchus artium omnium præstantissimam appellavit. Postquam enim homines a pristina vivendi simplicitate & vita integritate discesserant, non sufficiebat eos agrestes ac barbaros, a crudelitate & bello omnium adversus omnes, ad pacis bona revocasse, sed ut infinitis desideriis inter se differens multitudo voluntatem & vires conjungeret, arte quadam singulari & imperio civili opus fuit. Inde juris disceptatio & legum præscripta; quibus officia Pontificum, Judicum, Oratorum, militum, mercatorum, opificum & agricularum, ad utilitatem communem diriguntur, utque præclaris artibus emineat civitas, copiis locuples, opibus firma, gloria ampla & virtute honesta sit, obtinetur. Hæc, inquam, disciplina civilis est potentissima illa dea, quæ quicquid ubique in regnis & imperiis vastissimis est, circumagat, & circa sacra ac profana, pacem & bellum, magistratus & judicia, præmia & pœnas versatur. Vis scire, quid parvas civitates fecerit magnas, qua peste maxima labefactentur, quibus artibus populorum motus præcaveri aut sedari debeant, una est, quæ id doceat, prudentia civilis: pulcherrima rerum magistra, quæ ad divinationem innocentissimam instruit Rectores rerump. eorumque ministros, ut regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis, de instantibus vere

PRÆFATIO.

judicare, futura callidissime conicere possint.

Omnes igitur, qui munus boni civis sustinere gestiunt, sed imprimis illos, qui vel sorte nascendi, vel voto reipublicæ ad gubernacula destinantur, summa ope niti decet, ut noscant prudentiæ hujus leges universales; tum ut suæ civitatis, ejusque vicinorum, sociorum & amicorum indolem habeant perspectam. In Democratiis, noscenda est vulgi natura, & quibus modis temperanter habeatur: in Aristocratiis, exploranda Senatus & Optimum ingenia, qui Cæsares inter eos, qui Cato-nes; indigenis an peregrinis ducibus utantur: denique in Monarchico statu, bonorum & malorum Principum notæ, artes, consilia, & Aularum flagitia: omnium vero ortus exiles, progressus, leges, jura, fides, potentia & federa in promptu haberi debent. Qui enim hæc ignorabunt, omnes licet sapientiæ arcana doctrinas, naturæ sinus, motus cœli & siderum cursus pervestigarint, tamen perinde, in ipsis rerum argumentis, hallucinabuntur, quam qui in invio saltu oberrant, & in abrupta deducuntur. Ut merito Socrates, ille sapientissimus mortalium oraculo judicatus, stultum esse censuerit, non posse quemquam præstare vilissimis in artibus illiberalibus, ni idoneos sit magistros nactus, nec clavum unquam committi nauta, nisi per varios fluctus jactatus, vadorum brevia declinare didicerit, gubernanda vero civitatis prudentiam sponte sua hominibus obvenire, eamque tuto his credi posse, qui nullam rerum civilium peritiam sibi compararunt.

Vehe-

P R Æ F A T I O.

Veherentissime autem in hanc artium artem injuriæ sunt Sophi umbratici, qui eam non nisi veteratoribus tribuunt astutis & dolorum architectis, quibus salus reip. semper in ore, privata tamen stimulatio est, & decus publicum vile. Nos enim virum prudentem desinimus virum bonum, & in publicis privatisque negotiis, solide sapientem, qui nihil temere aut trepide, omnia caute & constanter agit, & statum presentem civitatis tuetur. Cujus pectus, generoso honesto incoctum, pietatem, tanquam omnis felicitatis & vitæ beatæ matrem, colit; omniaque consilia ad sacrosanctam veræ religionis ancoram alligat. Justitiæ strenuus ubique vindex, litibus minuendis studet; quæ primo domos, hinc gentes & familias, ac postremo ipsos ordines in factiones perniciosissimas distrahere solent. Fides et præcipuum humani generis est bonum, quam aut sociis aut hostibus fallere, nefarium censet. Sero prandere, noctes insomnes ducere, quin vitam ipsam, qua nihil dulcius est, pro libertate & bono publico profundere non veretur.

Atque hæc sunt veræ civilis prudentiæ leges; non quas vaser ille Etruscus, aut Cardanus, Spinoza, Naudæus, Vanninus, aliæque id genus monstra, in opprobrium religionis Christianæ, & subjectorum perniciem disseminarunt. Illi flagitia dominationis, cum Tacito, guttulas fraudis, cum Lipsio, Principi suo inculcent, eumque mox urfi, mox vulpis, mox etiam monstri centauri formam inducere jubeant, ubi utilitatis ratio id exposcit.

PRÆFATIO.

Nos ei sapientiam Catonis, justitiam Aristidis, militiam Themistoclis, Nervæ gravitatem, Trajani sanctitatem & Antonini clementiam commendamus, illamque demum beatam esse Remp. Platoni credimus, in qua aut docti & sapientes regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in sapientia & doctrinarum studio collocassent. Quod vero fumi aularum & involucra adulatorum denudanda sunt studii hujus candidatis, id agere sit, nihilque habet periculi, si in cautionem id fiat: bonum enim & malum, licet contrariam habeant naturam, indissolubili nexu coherent; lex justi & injusti regula est; ipsaque prudentia rerum bonarum & malarum scientia constat.

Quod si a quoquam obmoveatur, nimis immaturum juvenilis ætatis esse judicium, rebus tanti momenti recte dignoscendis; efficacissimum vero rerum magistrum esse usum, & pleraque temporum conditionem aut natura dexterioris aptitudinem conferre debere. Audio, sed dabit ille, quisquis est, veniam, non credenti sine pignore. Nam etsi abest maturitas ætatis, tamen aures eorum talibus personare, non inutile, viris prudentibus visum fuit. Quemadmodum Romani olim nobiles, qui se Reip. preparabant, Xenophontis librum de Agesilao, cum ejusdem Cyropædia, legebant; sic & flos literata juventutis prudentiæ semina mature accipere debet, quæ in uberrimam postea, & patriæ suæ salutarem, messem excrescant. Avis, in altum tendens, non continuo sursum rapitur, sed paulatim & quasi per gradus aera findit; sic etiam

non

P R Æ F A T I O.

non perficiuntur in Academiis summi Magistratus, Legati aut Ministri, sed tamen preparantur, fructumque satis uberem sibi promittere possunt, qui, perinde ac aliarum artium tirones, magistris suis tantisper credunt, donec ipsi ad Lydium peregrinationis & veritatis lapidem cuncta explorare queant.

Experientiam, fateor, quæ inter ipsa rerum discrimina colligitur, omnium magistrorum præcepta superare: pauci enim suoapte ingenio honesta a deterioribus, noxia ab utilibus discernunt, plerique aliorum eventis docentur. Scio etiam, non deesse exempla eorum, qui, sine multis studiorum adminiculis, ad illam sapientia arcem solo usu & solertia ingenii naturali pervenerunt. De Themistocle, summi consilii & iudicii viro, id Thucydides; de Comineo Sammarthanus, de Machiavello Forstnerus testatur. At si exiguum horum numerum, si brevitatem vite, etiam longissima, si raritatem occasionum, & paucitatem rerum, quas cuilibet sua ætate experiri contingit; si novas denique, quas natura humana quotidie properat edere formas, consideremus, nemo inficias ibit, majorum præcepta, priscis pariter ac recentibus exemplis illustrata, reliqua præbere omnia, quæ ab usu frustra expectantur. Et tu tandem senili usu edocte, quando serotina illa prudentia tua uteris? tum, credo, cum alterum pedem in tumulo habebis, aut corpus effætum senectæ dissolvat. Et nonne prudentior longe futurus eras, si domestica cum externis, vetera cum recentibus, similia cum similibus ex historia-

PRÆFATIO.

rum monumentis conferre didicisses: Nonne major tibi auctoritas ex literis? quæ non modo apud bonos, sed & mediocriter malos, infularum loco semper fuerunt.

Esto dicent alii: sed quid nobis, cum tua novaturiente, & tot annos in palastris Academicarum nostratum exulante prudentia civili? qui divina Platonis, Aristotelis & Taciti volumina habemus: ex quibus fontibus tam copiose omnia hauriri possunt, ut rivulos consecrari, haud sit necesse. Respondebo ad singula. Plato summus quidem, sed tamen vexatus fuit, & libris & scholis omnium Philosophorum, sapientia magister, quod ens rationis & politica ideam imaginariam sibi finxit, quæ nusquam reperitur, nusquam reperietur: multa insuper summa dictionis suavitate, & mero quasi melle condita, ab omni vero honestatis sensu aliena, & à moribus hominum abhorrentia reliquit: usque adeo, ut Græci, si inconcinnum quid & frivolum significare vellent, frigidius legibus Platonis id appellarint. Aristoteles, magnus ille Regum Consiliarius ac comes, posteritati reliquit Politica, singulari gravitate & arte concinnata: in quibus, quæ & quot sint Rerump. species, quæ vitiosa & aberrantes, quæ simplices & mixta ostendit. At si verum amamus, omnia illa, usque ad miraculum erudita, manca tamen sunt, & ad genium antiquæ Græciæ magis, quam ad præsentem orbis Europæi habitum accommodata: lectorem quoque rerum civilium jam peritum requirunt. Tacitum denique commendarunt multi, tanquam

PRÆFATIO.

quam doctorem Principum, aulicorum pædagogum, prudentiæ patrem, oraculum civilis disciplinæ & Politicorum coryphæum: nec ego laudes ipsi negarim, acris & prudentis scriptoris, qui, ex alta quasi specula, occultos Principum affectus & dominationis flagitia perspexit. Ex singulis ejus paginis, immo lineis, Scipio Ammiratus, Fœrsterus, Bœclerus, Gruterus, Boccalinus & Amelottus, dogmata & monita politica, nisi plura forsitan, quam de quibus ipse cogitavit, exsculperunt. Absit etiam ipsum, cum Tertuliano, mendacissimum, cum Orosio adulatorem, cum Budæo scriptorem omnium sceleratissimum temere appellemus. Subscribo autem Isaaci Casauboni judicio, qui, in aurea ad Polybium præfatione, nihil Principi, præsertim juveni, Annalium libris perniciosius judicavit, propter assidua flagitia, incestus, venena, parricidia, criminationes & conspirationes, quæ sub Tiberio, Catigula, Claudio, Nerone & Vitellio, humanæ naturæ prodigiis, acciderunt.

Ad recentiores quod attinet, non defuerunt viri præstantes omnium nationum, qui bene mereri de hac disciplina conarentur: his vero omnibus ut sua laus debetur, ita sitim magis excuerunt, quam sedarunt. Multi compendia dederunt, definitionibus quidem & divisionibus large referta, sed quæ ad vitam civilem ingrediendam faciunt parum aut nihil. Alii vagis Discursibus, Axiomatibus, Observationibus, Consiliis, Arcanis politicis, & Dissertationum Meandris

PRÆFATIO.

*andris acute quidem, & cum apparatu eruditionis, sed non ad hunc usum civilem & seculi genium differuerunt: quum tamen nec sterilia exemplorum nostra sint tempora, & recentissima potissimum explorata esse debeant, ubi de publico negotio deliberatur. Hinc Tacitus Romanos suos culpavit, vetera extollentes, recentium incuriosos: contra callidos temporum, & sapientes conjunxit. Celeberrimus etiam Perizonius, in præfatione Commentariorum Historicorum, apte monuit, a seculi sexti decimi initio, faciem rerum Europæarum, quæ ad nostra usque tempora consistit, cœpisse: nec altius Notitia rerumpublicarum est repetenda. Siftit enim hic sese cumulus materiarum maximus, si vel hodierna tantum tempora intueamur. In alio studiorum genere laudo & amo antiqua, neque in his prorsus sperno: ita autem in ea si quis se abdere velit, ut in rebus hodiernis sit hospes, æque id ridiculum foret, quam si in Belgio vivens, Græcæ vellet discere, & linguam Belgicam ignorare. Nec video, quod malum impediatur, quo minus in spaciis Academiæ, de iis, quæ orbis hodiernus agit, pro modulo cognitionis nostræ, balbutiamus. Quid sit Constitutio Unigenitus, quæ Formula consensus; fata Dissidentium apud Polonos, Pax Olivana; quæ ratio successionis in magnum Etruriæ ducatum. Quid de investitura Bremensi & Stettinensi; de decimo Electoratu; de Vicariatu Italico; de novo commercio ad Indos, & sexcentis talibus sit habendum. Nisi forsitan quis existimet, Academi-
mias*

P R Æ F A T I O.

mias pedantissimi aulas esse, & ceteris sat agentibus, in his cum Diogene dolium haud volvendum esse.

Non equidem is sum, qui de conatibus meis magnifice sentiam, aliorum vero labores contemnendos existimem; quin potius veneror. quæ à Lipsio, Bodino, Conringio, Forstnero, Boeclero, Bosio, Naudæo, Hertio, Gundlingio, aliisque viris clarissimis, in hac eruditionis parte, præclare sunt elucubrata, utque alii ea colant, auctor fuerim. Videbatur autem necessarium esse, causas neglectæ vel contemptæ artis pulcherrimæ præmittere; quo fastidium inveteratum, illis, qui bona sua non intelligunt, deduceretur, quique ad nostra Musarum sacra concurrunt, sentirent, in divina beneficia injurios esse, qui frugibus inventis glande pasci amant. Num ipse via & methodo magis commoda usus fuerim, aliorum judicium esto. Hominis vero illud δαιμόνιον, Aristoteles, egregium, quod sequeremur, hac in re exemplum reliquit: is enim reginam illam disciplinarum justo opere conditurus, omnium prius civitatum, non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ, mores ac disciplinam investigavit, & ducentas quinque & quinquaginta respublicas descripsit: prudenter existimans, his demum adminiculis comparari & tradi posse rerum civilium doctrinam. Ego, cum talia non possim, id saltem operam dedi, ut in magno argumento esset modus quidam & ordo, utque intervalla, quemadmodum in viis lapides, constituerentur. Sat amplum sane operis suscepti fructum tulisse putabo.

st

P R Æ F A T I O.

si illi, qui meæ institutioni sese commissuri sunt, ad magnæ fortunæ cultum, & ad Rempublicam aliquando curandam, his rudimentis præparabuntur.

Quod si vero, in tanta rerum difficultate & exoticarum multitudine explicanda, aliquid humani passus fuero, id quidem nemo expertus mirabitur; quia regnorum vires, arma, tributa indies mutantur; nec hodierna, ex præteritorum observatione, certo pondere & mensura definiri possunt. Quam arduum sit, unius reip. statum recte explicare, vidit & agnovit Polybius, quum non mediocri attentione & diligentia opus esse testatus est, si quis velit, quæ erant in rep. Romana eximia, quibusque differret ab aliis, breviter cognoscere. Cum hoc etiam ab illis, qui nos sequentur, veniam postulo, sicubi ignorantia lapsus fuero; sin vero de industria mentitum, aut scienter veritatem dissimulasse comperiantur, ut acerbè citra veniæ spem increpent, non recuso. Ad minuta quævis descendere non volui, ad secreta singula non debui; quia illud nimis & miseræ foret diligentia, hoc periculo non vacat: utrumque insuper superat unius hominis vires, etiamsi attentus fuerit, & felici sidere natus. Verum summa rerum capita ex lectione vel auditu tractare, & præstantissima ex iis delibare, haud desperatæ operæ visum fuit: postquam divino artis typographicæ beneficio, antiqua, media & recentia Rempublicarum monumenta, à situ & carie tam eleganter sunt vindicata; & rara loci

P R Æ F A T I O.

loci huius felicitate, sentire quod velis, ac quod sentias, dicere licet. Ex illis autem mutis Doctōribus saluberrima monita, ad omnem rem civilem & militarem pertinentia, & mihi & cuilibet, in museo, haurire licebit; quamvis ipse magistratum non gesserit, machinas nunquam expederit, aut qua forma aciei, quo genere, terra marive, caute pugnetur, ignoret. Ut vero Chronologiam aut Chorographiam regionum, ceu augurali lituo, definiam, nemo exspectet. Aliorum hæc messis est, in quam mihi, tot Jurisprudentiæ partibus satis occupato, involare nec lubet, nec licet. Ne etiam umbraticus homo ab Aulicis riderer, quantum licuit, me ab his temperavi, quæ continent, quid hodie ex usu sit: cum Sallustio enim scio, quam difficile atque asperum factu sit, dare consilium Regi aut Imperatori, cujus opes & majestas in excelsis sunt: quippe cum & illis consultorum copia adsint, neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens videatur.

In Præcognitis generalia quædam civilis prudentiæ capita præmittenda censui; tum quod reliqua sine his intelligi non possunt; tum ut semel dicerem & explicarem, quæ in singulis regnis usum habent, & otiose repetenda forent ubivis. Potiora quævis & quotidiana munivi auctoritate veteris cuiusdam Historici, aut Sapientis: quibus hac in re non minor fides habenda est, quam aut Philosophi Aristoteli, aut Jurisconsulti Papiniano suo habere solent. Augustus, maximus memoriæ omnis

**

Im-

PRÆFATIO.

*Imperator, præcepta & exempla, ex utriusque
lingue auctoribus, publice privatimque salubria,
sectari solebat, eaque ad verbum excerpta, aut
ad domesticos, aut ad exercituum provinciarum-
que rectores mittere, prout quique monitione in-
digerent; sic & ego illa virorum prudentium mo-
nita, & velut decreta, Vestris animis insigi
velim. Vos quoque, lineis his primis prolixè favete,
&, si summum Numen annuet ceptis, a cu-
ris posterioribus plures Respublicas, & has cu-
ratius explicatas expectate. In hoc enim studiorum
genere, ob crebras mutationes rerum & persona-
rum publicarum, mediocriter errasse, culpæ spe-
ciem non habet, in homine gravioribus distracto,
& tumultuaria opera, in gratiam carissimorum,
lineas ducente.*

Nunquam ita quisquam bene subducta ra-
tione ad vitam fuit,

Quin res, ætas, usus, semper aliquid ad-
portet novi;

Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire cre-
das, nescias,

Et quæ tibi putaris prima, in experiun-
do repudies.



PRÆCOGNITA

NOTITIÆ

Rerumpublicarum.

§. I.

Notitia Rerumpublicarum est scientia, quæ versatur in perspicendis rationibus, quibus singulæ civitates gubernantur.

(1) Nomen desumptum à Notitia dignitatum utriusque imperii. (2) An sit vera & proprie dicta scientia? (3) An, in hac perpetua imperiorum mutatione, detur certa, & quousque? Seneca consolat. ad Helviam cap. 6. *Assiduus humani generis discursus est, quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Nova urbium fundamenta jaciuntur: nova gentium nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris conversis, oriuntur.*

§. II. Differt à Prudentia civili generali, & à Jure Publico, ab Historia & Geographia; licet à singulis nonnihil mutuetur.

(1) Quomodo diversæ artes circa eandem rem

A

OC-

occupari possint? (2) Cur specialis hæc & practica politica cum generali, & cum utroque jure publico vulgo confundatur? (3) quæ partes Jurisconfulti, quæ Politici, quæ Historici?

§. III. Scitu *necessaria* est omnibus Imperantibus, eorumque Legatis & Consiliariis. *Utilis* parentibus, ad fidem boni civis conservandam, utque solidus ex Historia & factis capiatur fructus. *Jucunda* omnibus, propter varietatem rerum, & vicissitudinem fortunæ, quam exponit.

(1) Augusti breviarium totius imperii, in quo *opes publicæ continebantur, quantum civium, sociorumque in armis, quot classes, regna, provincie, tributa, aut vectigalia, & necessitates, ac largitiones*, ut Tacitus describit 1. Annal. c. 2. & Sueton. in ejus vita c. ult. (2) Cn. Pompeji *præstabilis scientia, in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, Regum, exterarumque nationum, in omni belli jure & pacis*, à Cicerone laudata, orat. pro Balbo c. 6. (3) Constantini Porphyrogeniti liber de administrando imp. ad filium. (4) Amurathis, Turcarum Imperatoris, diligentia singularis, terribilis dominatus, qui nunc durat, fundamentum.

§. IV. Doctores ejus sunt omnis generis viri, vere civiles, qui vel usu & tractatu, vel historiarum lectione, habitum sibi acquisiverunt dijudicandi, quibus consiliis & viribus civitas administratur

(1) An in Academiis doceri debeat, & a quibus? (2) Num recte Bodinus scripserit, Jctos, in doctrina de Rep. antesignanos habendos esse. (3) Historia cur sola non sufficiat, nec usus, efficacissimus rerum omnium magister, Cæsari lib. 11. de Bell. civ. c. 8. & Plinio lib. 36. Hist. nat. c. 2. dictus? Socrates apud Xenophontem lib. iv. Memorab. *Stultum est arbitrari, non posse quem prestare vilissimis in artibus, ni idoneos sit magistros nactus, gubernandæ vero civitatis notitiam, sponte sua & ultro, hominibus obvenire.* (4) De Themistocle, Principe Auriaco, Cominæo & Machiavello singularia.

§. V. In illis, qui notitiam hanc sibi comparare cupiunt, præter nativam ingenii bonitatem, requiritur scientia aliquis Prudentiæ civilis, Historiæ, Geographiæ, aliorumque adminiculantium studiorum.

(1) Duplex Aristotelis collegium politicum. (2) Juvenes hanc scientiam sibi comparare posse & debere; quia *etsi abest maturitas ætatis, jam tamen personare aures eorum hujusmodi rebus, non est inutile*, in re simili, ait Cicero vi. ad fam. 18. (3) Polybius lib. 1. c. 1. *verissimam institutionem esse ac præparationem, ad capessendam Remp. doctrinam illam, quæ ex historia paratur.* Vid. Bœcleri *Historia Principum schola.*

§. VI. Huc pertinent quælibet Respublicæ, antiquæ & hodiernæ; barbæræ & moratæ; magnæ & parvæ; rectæ & declinantes; prudenter vel imprudenter administratæ; Regna, Popula-

res & Optimatum status.

(1) Non modo Judaicam, Græcam, & Romanam remp. sed etiam barbaras civitates, & vitiosas, cognitu utiles esse. (2) Opus præstantissimum quondam Aristotelis, quo is *omnium fere civitatum, non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ mores, instituta, disciplinas descripsit*, auctore Cicerone lib. v. de Finib. c. 4. & Laertio lib. v. n. 27.

§. VI. Solius vero Europæ notitiam libri hujus titulus pollicetur; nec omnes, sed potiores ejus Reip. lustrare animus est.

(1) Europæ nomen, fines, regiones, & excellentia. (2) Tergori bovino cur eam similem dixit Dionysius Afer. (3) Cur Seres Europæis unum, sibi duos, ceteris nullum oculum tribuant, teste Maffejo lib. iv. *Hist. Ind.* Vid. Isaac. Voss. *Var. Obs.* c. 14. (4) Aristotelis judicium de ingenio Europæorum lib. vii. *Polit.* c. 7.

§. VII. In singulis tempus præteritum, præsens & futurum considerari debet, ut totidem prudentiæ partes, memoria, intelligentia & providentia instruantur.

(1) Tacitus II. Ann. 88. Græcos culpat, quod *sua tantum mirabantur*; Romanos, quod *recentium incuriosi, vetera extollebant*: contra *callidos temporum & sapientes* conjungit, iv. Ann. 33. (2) Plinius Paneg. c. 5. *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque semina Deus, & plerumque bonorum malorumque causæ*
sub

sub diversa specie latent.

§. VIII. *Inchoatur* hæc cognitio, observatione exemplorum, quæ facta sunt, aut fiunt: *excolitur* comparatione diversarum civitatum, conversatione cum Proceribus & Legatis, & peregrinatione prudenter suscepta: *absolvitur* demonstratione & usu.

(1) Peregrinationis verus usus & abusus. (2) Quæ ætate illa sit suscipienda; adversus Platonem & Lockium. (3) Quibus prædiis instructi esse debeant peregrinaturi. *Qui proficiscitur ad partes externas, priusquam in lingua gentis, quam adit, fecerit progressus, ad ludum Grammaticum vadit, non ad peregrinandum*, ait Baco de Verulam. ferm. fid. (4) De scopo certo, & cautionibus observandis. (5) Germanici *cupido, veteres locos & fama celebratos noscendi*, commendata ex Tacito lib. 2. Ann. 54. 59. 60. (6) Providi Ulyxis exemplum ex Homero & Horatio lib. 1. ep. 2. (7) De luxuria Asiatica in Urbem invec̄ta Livius l. xxxix. c. 6. illustratus, & Juvenalis Sat. III. v. 62.

§. IX. Finis notitiæ, non est curiositas quædam desultoria, in Rep. propria vel aliena; sed ut præsentia accurate perspicere, recte de illis judicare, futura ex præteritis & præsentibus calide conjicere, patriæ cavere de malis, prospicere de bonis, ad incerta vigilare possimus.

(1) Exempla Solonis, Themistoclis, Ciceronis,

nis, Attici, Mahumedis, Swendii, Agrippæ, Thuani, aliorumque, qui, artis hujus beneficio futura sæpe præviderunt & prævenerunt. (2) Ciro lib. vi. ad Fam. epist. 6. *Non ex alitis involatu, nec è cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis aut sonivis tibi auguror, sed habeo alia signa, quæ observem, quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis vel erroris.*

§. X. Summa capita, cujusvis Reip. noscenda, sunt sequentia: (1) Origo & progressus civitatis. (2) Natura regionis. (3) Civium mores & bona fortunæ. (4) Status Ecclesiasticus. (5) Administratio summi imperii. (6) Forma Reip. (7) Ejus finis, vulgo Interesse (8) Regum characteres, & præcipue Imperantis virtutes, vitia, tituli, insignia &c. (9) Viri toga aut fago illustres. (10) Scriptores domestici & peregrini.

(1) Aristotelis angustior partium enarratio lib. iv. Polit. c. 14. in consultationibus, magistratibus & judiciis. (2) Molimina Conringii, Puffendorffii, Schubarthi, Bosii, Dieterici, Gundlingii, aliorum.

§. XI. Primum ergo indaganda venit *Reip. origo*, quæ plerumque exilis est, & fabulis involuta: hinc primordia, incrementa, inclinationes, & conversiones, cum suis causis atque occasionibus, inspicere debent.

(1) Tria

(1) Tria tempora distinguenda in singulis, quæ Græci ἀρχὴν, ἀκμὴν & παρακμὴν vocant. (2) Tempus incertum, fabulosum, historicum. (3) ante Romanos, sub Romanis, post Romanos. Livius Præfat. *Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinīs, primordia urbium angustiora faciat.* (4) Populorum ambitio, ignorantia & divinationes deliræ, in fingendis originibus, ex Diodoro Siculo, Tacito aliisque (5) An ante diluvium fuerint civitates? (6) An prima imperia immediate à Deo condita? &c.

§. XII. Deinde *regionis cognoscendus est situs, robur, debilitas, ex quantitate & qualitate. Ratione quantitatis fines habet regni, vel populi: latos, vel angustos: politicos vel naturales, ut sunt flumina & montes.*

(1) Imperia magna difficulter custodiri, iudicavit Scipio Africanus apud Valer. Max. lib. iv. c. 1. n. 10. Augusti consilium, *coercendi intra terminos Imperii*, apud Tacitum lib. 1. Ann. c. xi. ex Grotio lib. III. c. 15. §. 7. illustratur, (2) Amnes, tanquam naturales termini, dirimunt gentes, unde *finitores* dicti, apud Xenophontem Exp. Cyri. c. 8.

§. XIII. Ratione qualitatis territorium est principale & accessorium, connexum vel interruptum: maritimum vel mediterraneum: castellis, urbibus, portibus clausum vel apertum: montanum vel campestre: fluminibus intercisum vel destitutum: sterilis aut fertilis soli.

Ant (1)

(1) Civitatis maritimæ commoda cum incommodis comparata. Vid. Bœcleri *Civitas maritima*.
 (2) Portus boni conditiones, ex Vitruvio lib. XII, c. 5. (3) Quid in urbibus sit observandum. vid. Aristot. lib. VII. Polit. cap. XI. (4) Arces liberorum populorum compedes. (5) Cur Tacitus annes *vetera imperii munimenta* vocet lib. IV. Hist. c. 26. ? (6) An flumina per fossam connecti possint, ad ejusdem lib. I. Ann. 79. & XIII. c. 53.

§. XIV. Fertilitas regionis sita est in animalibus, mansuetis & feris, piscibus, frugibus, fructibus arborum & vinearum, sale, metallis, mineralibus, gemmis, lapidibus, carbonibus & ligno: ex quibus an civitas omnia habeat, ad pacis & belli artes idonea, quid ei desit; quid superfit, colligi potest.

(1) Exempla sterilitatis & fertilitatis stupendæ.
 (2) Sterilia loca præferacibus an recte commendarit Machiavellus? (3) Virgilio lux lib. I Georg. v. 50. seqq.

§. XV. Tertio in *Civium* descriptione attendi debet, eorum origo, lingua, numerus, bona corporis, animi, & fortunæ.

§. XVI. De originis vetustate multæ gentes in vanum laborarunt: quia pleræque migrationibus sunt confusæ, & tenuia multarum initia sequens magnitudo obtexit.

(1) Ini-

- (1) Initia Reip. cum origine gentis perperam vulgo confusa. (2) Somnia Lucretii, Horatii, Diodori, & Taciti, de indigenis, terra editis. (3) De migrationibus ex Asia, & Septentrione, gentium vagina, Bocharti, Lazii, Rutbekii scripta. (4) De Hunnibaldo, Annio & Trithemio, fabularum architectis. (5) Polybius lib. 1. Hist. 12. *Ut intelligatur ingenium gentis, natura, conditio, fortuna imperii alicujus, omnem superiorum temporum seriem alte repetendam esse, quo possit liquido judicari, undenam singuli populi, & quando, & à quibus profecti.*

§. XVII. Linguas matrices Europa quatuor habet amplissimas: Græcam, Latinam, Teutonicam, & Slavonicam; quarum variæ propagines & dialecti.

- (1) Causæ varietatis linguarum sunt bella, imperia, coloniæ, commercia, migrationes, incuria &c. (2) Confusio Babylonica quam varie à Perizonio, Vitringa & Clerico, Viris Cl. explicata. (3) Studium propagandi linguam patriam quo spectet. (4) Origines quarundam linguarum. (5) Gothica Teutonicarum mater. (6) Scaligeri opusculum, de Linguis Europæ.

§. XVIII. Numerus civium belli pacisque munia sustinet; ut tamen mediocritas magis sæpe laudanda videatur.

- (1) Quibus mediis numerus civium augeri, vel minui possit. (2) Laus matrimonii & coloniarum, judiciis Aristotelis l. VII. Polit. 16. & Velleji lib. 11. 15. improbatis. (3) Hadrianus in l. ult. de Bon. damnat. *Ampliari imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia malim.*

§. XIX.

§. XIX. Ad corporis bona pertinet sanitas, statura & pulchritudo; quæ propter cœli clementiam, vel inclementiam, cibum potumque aliter atque aliter se habent.

(1) Cur Septentrionales robore & vitalitate, Anstrales ingenio præstent. (2) Morbi certarum regionum. (3) An homines olim proceriores, quam hodie, ad Efdraë lib. iv. c. 5. v. 55. *Qui post vos venturi sunt, minores fore vobis, quasi jam senescentibus rebus creatis.*

§. XX. In bonis animi spectandæ sunt virtutes morales & intellectuales. Mores gentium plerumque tales sunt, qualis est locorum situs; licet naturæ, artis vel educationis opera, non raro inflectantur.

(1) Ulpiani dictum in l. 31. §. 21. D. de Ædilit. ed. *Interest nostra scire nationem*, ex Livio lib. XLV. 23. & Vitruvio lib. VI. cap. 1. illustratum. (2) Opprobria in totas nationes, Strabonis auctoritate rejecta lib. IV. pag. 70. Seneca lib. III. de ira c. 27. *Nihil in uno judicabis notabile aut foedum, quod gentis suæ publicum est.* (3) Tria vitia cardinalia i Johann. II. v. 16. memorata, ex triplici temperamento, cholericum, sanguineum, melancholicum; quæ explicantur. (4) Scriptores eo pertinentes: Scipio Claramontius, Octav. Brancifortius, Johannes Imperialis; Joh. Barclajus, Janus Huartus, Edo Neuhufius, Vayerus &c.

§. XXI. Ad virtutes intellectuales

referuntur artes liberales; & illiberales. Illæ in scholis, gymnasiis & Academiis traduntur: per societates litterarias, bibliothecas, & typographiam juvantur.

(1) De Academiarum origine, commodis, vitiis, & honoribus. (2) Linguae patriæ & Historiæ recentioris neglectus. 3. Necessitas studii mathematici, ad peritiam nauticam & militarem. (4) Naudæi censura publicarum scholarum rejecta ex Quintil. lib. 1. Inst. orat. c. 12. Seneca epist. 107. *Ut omnium rerum, sic litterarum intemperantia quoque laboramus; nec vitæ, sed scholæ discimus.* (5) Typographiæ natales, usus & abusus. vid. Mich. Maittaire Annales Typograph.

§. XXII. Illiberalium numerus est magnus; eminent autem tres, agricultura, opificium & mercatura, eæque, si velut connubio jungantur, magnum momentum in republica habent.

(1) Laus agriculturæ & passionis ex Xenophonis Oeconomico, & Catone de R. R. Tullius lib. 1. de Offic. cap. 43. *Omniū rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius.* (2) Artificem magni pretii hominem, recte Plutarchus in Pericle dixit. (3) Sed opificum collegia, licet valde antiqua sint, Reip. non conducunt, nisi angustis legibus circumscribantur. (4) Mercaturæ incrementa & decrementa, ex quibus causis. Ciceronis de ea iudicium lib. 1. de Offic. c. 42. De societatibus, mundanis, monopolis, fœnore, & pernicioso urbibus mercimonio, nobilibus interdicto, ad l. 3. *C. de Commercio.* (6) De Græcorum & veterum Romano-

manorum, uti Gallorum quoque recentium institutis, ad frequentandam cum fructu agriculturam, & commercia, commendatur M. de la Mare *Traité de la Police* Paris. 1713. fol.

§. XXIII. A bonis fortunæ, cives (1) sunt Nobiles, Patricii, plebeji (2) Nobiles vel novi vel antiqui: Equites, Barones, ministeriales. (3) divites, pauperes, vel medii. (4) huic aut illi factioni addicti.

(1) Nobilitas civilis varia pro institutis Rerump. (2) Europæos virtus militaris & aula honorat, dignitate natalibus tributa. (3) Variæ Nobilium classes & appellationes, per indicem recensitæ. (4) Equitum ordines, sacri & profani, trium generum: Torquati, Cruciatii, Aurati. (5) Eorum, ut & Baronum, & Patriciorum origo. Iſocrates in Sociali: *Ea demum civitas felix est habenda, non que è promiscua hominum colluvie multos cives temere colligit, sed que antiquissimas & primas familias maxime conservat.* (6) In tumidos genere nobiles, Marii oratio apud Sallust. Bell. Jug. c. 88.

§. XXIV. Ex factionibus nascuntur seditiones, tumultus, bella civilia, conspirationes, proditiones, quibus impii cives adversus Principem vel remp. insurgunt, ejusque funus inducunt.

(1) Causas factionum optime Florus, *lib. I. c. 23. seqq.* & *lib. III. cap. 14. seqq.* genium conjurationis Machiavellus descripsit, ad *Liv. III. 6.*

(2) Utriusque exempla antiqua & recentia. *Liv. lib. IV. c. 9. Factiones fuerunt eruntque pluribus popu-*

populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbiue, quæque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt. (3) Pestem bellorum civilium, in quibus nihil mihius est, quam victoria, Cicero describit lib. iv. ad Fam. 9. (4) Tribuni, Oratores, Astrologi civium turbatores. Grotius lib. iv. Hist. A. 1595. *Nomen libertatis, &, quæ violentissima persuasio est, Dei cultum jactabant acre concitorum genus, qui rerum civilium ignari, specie religionis turbidi, sæpe bonam causam male agendo pervertunt.*

§. XXV. Quartum Notitiæ caput Statum Ecclesiasticum exponit; cujus objectum est religio, omnis societatis coagulum, & vinculum honestæ disciplinæ. Scopuli ejus duo, impietas & superstitio.

(1) Cultus divini necessitas, & fructus pietatis. Livius lib. v. 51. *Omnia prospera evenisse, sequentibus Deos, adversa spernentibus.* (2) Atheismi & superstitutionis radices, auctores. (3) Mala utriusque magna, sed maxima impietatis, adversus Baylium. Vid. Barbeyrac ad Pufend. 1. 2. c. 4. §. 3. Curtius lib. iv. c. 10. *Nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio: alioqui impotens, sæva, mutabilis; ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret.*

§. XXVI. Religio alia naturalis est, alia revelata: hæc quadruplex; Christiana, Judaica, Mahumedana, ethnica: quarum prima & tertia summæ potestatis participes sunt; omnes in varias sectas divisæ.

(1) De

(1) Descriptio religionis naturalis ex Paulo ad Ebræ. xi. vi. 6. & Seneca epist. 95. (2) Judicium politicum de singulis revelatis. (3) Excellentia religionis Christianæ vindicetur, adversus Machiavellum lib. ii. de rep. 2. & Baylium t. iv. Respons. c. 26. 27. Vid. Pufend. *de concordia vere politica cum religione Christiana.*

§. XXVII. Christianorum alii sunt Orientales, alii Occidentales: horum tres familiæ præcipuæ: Reformata, Lutherana & Pontificia: secundariæ infinitæ, sed ab imperio destitutæ.

(1) Quales Cræci, Jansenistæ, Sociniani, Anabaptistæ, Enthusiastæ. (2) Reformationis necessitas, justitia, progressus & impedimenta. Seckendorf *Historia Lutheranismi*, Juricu *Apologie pour la reformation.* (3) Concordia Reformatos inter & Lutheranos an sperari possit. (4) Protestantibus quare non sit metuendum. vid. Grot. *epist.* 921. & Bayle *Elisabeth.* (P.) *Francois I.* (N).

§. XXVIII. Jus summorum potestatum circa sacra, maximum est apud Græcos & Turcas; minus apud Protestantes: minimum apud Gallos; Germanos & Venetos: apud ceteros fere nullum.

(1) Limites hujus juris circa cultum, ejusque ministros, & bona ecclesiastica intricati, ex varietate Cleri. (2) De Conciliis, Synodis, Confessorii. (3) De una religione dominante, ceteris tolerandis. (4) An hæresis sit crimen; & quid si hæreticus contumax sit & blasphemus? (5) Inquisitionis tribunal an à Spiritu S. ? vid. Tit.

III. vf. 13. Tertullianus ad Scap. c. II. *Humani juris & naturalis potestatis est, unicuique, quod putaverit, colere: nec alii obest, aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est, cogere religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi: cum & hostiæ ab animo lubente expostulentur.* (6) Scripta laudentur optima, Grotii, Wehrenfelsii, Pufendorfii, Baylii, Noodtii, Limborgii.

§. XXIX. *Causa ejus rei est, quod Hierarchia Romana, remp. in rebuspublicis constituit, maximam totius Europæ. Ejus caput est Pontifex Romanus; membra majora Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & ordines Equitum; minora Abbates, Prælati, Jesuitæ & monachi cucullati, miles Papæ prætorianus.*

(1) Forma hujus reip. comparetur cum Imperio Romano Germanico. (2) Dictum Christi Lucæ XXII. vf. 25. *Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non sic!* (3) De Equitum Ecclesiasticorum ordinibus, Hospitaliorum, Teutonicorum, Templariorum, Enfiferorum; quorum duo priores supersunt, tertium opum magnitudo, quartum bella everterunt. (4) Jesuitarum character apud Grot. lib. III. Hist. pag. 194. (5) *Quinam sint viri simplicitate gaudentes & desideria dediti?* apud Paulum in l. 25. §. I. D. de Probat.

§. XXX. *Quintum Notitiæ caput, seu Administratio summi imperii, in novem partibus consistit! in Magistratibus,*

bus, Consultationibus, Legibus, Judiciis, Legationibus, Fœderibus, Bello & Pace; Tributis & Dominio eminente.

(1) Thucydidis, Aristotelis, Dionysii, aliorumque partitiones apud Grotium lib. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 6. (2) Quid sit majestas? (3) an immediate a Deo? (4) an realis & personalis? (5) Scriptores de juribus majestaticis, Hornius, Zinglerus, Mylerus, &c.

§. XXXI. Magistratus sunt ministri Reip. quibus facultas imperandi tributa est, ut præsent, præscribantque recta, utilia, & cum legibus conjuncta. Alii toti provinciæ præsent, cum dignitate eminente, ut Præsides, qui postea Duces: alii parti, ut Landgravii, Marchiones, Comites: alii urbibus & vicis, ut Consules, Ædiles.

(1) Videndum an temporarii sint, an perpetui; num ætatis, generis, patriæ ratio habeatur; an unus pluribus officiis præficiatur, ob *l. fin. C. de Adseff.* (2) Nummis redimere munera, non quidem regulis justis adversatur, sed reip. male constitutæ argumentum vocat Plato; omnem nequitia terminum Justinianus, Nov. 8. (3) *Necesse est, ut qui emit, vendat*, Severi vox erat apud Lamprid. c. 49. *Nullum vitium tetrius, quam avaritia, præbere enim quæstui reip. non modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium*, Cicero lib. 11. de Offic. c. 22.

§. XXXII. Consultationes in comitiis,

tiis, curiis, parliamentis & sanctiore concilio instituuntur, ut de pace & bello, de legibus & tributis, deque omni utilitate, quæ legibus comprehendi non potuit, recte aliquid sanciantur; idque temporibus statis, vel indictivis.

(1) Alia Senatus ratio est in Monarchia, alia in Democratia; ibi sententiæ ponderantur, hic numerantur; ibi celerius, hic tardius consilia capiuntur. (2) Alexandri Severi exemplum, quemlibet in arte sua consulentis. (3) Confiliariorum requisita. Cicero II. de Orat. 28. *Ad consilium de rep. dandum, caput esse nosse remp.* Sallust. Orat. II. de Rep. ord. *Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit, consilium dare regi, aut imperatori, postremo cuiquam mortali, cujus opes in excelsis sunt; quippe cum & illis consultorum copia adsint; neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens sit. Quin etiam sæpe prava magis, quam bona consilia prospere eveniunt: quia pleraque res fortuna ex lubricine sua agitat.*

§. XXXIII. Lex est regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est: alia est publica, quæ & sæpe fundamentalis, alia privata, ut forensis, maritima, sumptuaria, &c.

(1) Legis bonæ requisita sunt, ut sit iusta, immota, ad genium populi & statum reip. accommodata, fugiat excessum, perspicua, & lingua patria concepta, majori parti, & in summam proficit, Liv. lib. xxxiv. 3. (2) Differatur de prudentia legislatoria. (3) De usu & abusu juris Romani judicia Grotii proleg. ad Hist. Goth. pag. 63.

Lipſii cent. v. ep. 78. & Conringii præf. ad Tacitum de Mor. Germ. (4) Tacitus xv. Ann. 20. *Uſu compertum eſt, leges egregias, exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic Orationum licentia, Cinciam rogationem; candidatorum ambitus Julias leges: magistratum avaritia, Calpurnia ſcita pepererunt. Nam culpa, quam pœna, tempore prior, emendare, quam peccare, poſterius eſt.*

§. XXXIV. *Judiciorum auctoritas pendet etiam à ſumma majeſtate, & ab ea in judices majores minoresque derivatur, ſalva ultima provocatione. Alia diſtrahendarum controverſiarum, alia puniendorum maleficiorum cauſa reperia ſunt: alia univerſalia, alia particularia; ut peregrinorum, mercatorum, pupillorum &c.*

(1) Tres juſtitiae peſtes capitales; corrupti judices, æternæ lites, & Advocatorum improbitas, in quam Germanorum ira apud Florum lib. vi. c. 12. (2) Remedia adverſus litium æternitatem (3) Laus Advocatorum bonorum ex l. 4. C. de Advocat. div. judicum & l. 14. C. de Advoc. div. judiciorum. (4) De Ægyptiis Diodorus Siculus lib. i. c. 75. *Judiciis diligentiam non vulgarem exhibent; quod ſententias, pro tribunali pronuntiatas, maximum vite communi momentum afferre, in utramque partem cenſent. Nam haud obſcurum iſtis erat, ſi facinoroſi punirentur, & injuria oppreſſis auxilium ferretur, optimam hanc delictorum emendationem fore. Et contra, ſi terror dirus, a judiciis impendens ſcleratis, vel pecunia, vel gratia everteretur, confuſionem univerſæ hominum ſocietatis*

cietatis eventuram prospiciebant. Adde l. 13. 18.
 & 19. *D. de Off. Præs.*

§. XXXV. Legati sunt ministri reip. ad publica negotia expediunda, ab illis, qui summa potestate gaudent, solenniter missi, cum charactere, vel sine eo. Illi vel primi sunt ordinis, vel secundi; utrique vel plenipotentarii, vel formularii; ordinarii vel extraordinarii; negotiosi, vel officiosi.

(1) Horum necessitas, dotes, mandata, sanctitas, privilegia, jus asyli, audientia, forum, honores, cærimonix, pericula, cautiones. (2) De vocibus *Ambassadeur, Envoyé & Resident.* (3) Cæsar lib. III. de Bello civ. c. 51. *Aliæ sunt legati partes atque Imperatoris: alter agere ad præscriptum; alter libere ad summam rerum consulere debet.* (4) Scriptores Joh. Hotmannus, Alb. Gentilis, Paschalius, Kirchnerus, Marselarius, Ant. de Vera, Wicquefortius, Bynkershoekius.

XXXVI. Fœderibus opus est; quia nulla est tam valida civitas, quæ non aliquando indigeat favore, auxiliis aut bonis nonnullis alterius reip. Inde variæ generis fœdera; realia vel personalia; æqualia vel inæqualia; perpetua vel temporaria; pacis, belli vel commerciorum causa, sine imminutione imperii, contrahuntur.

(1) Utilitas, justitia & firmitas fœderum indere pendent, an tempore necessitatis, cum pluribus, cum diffitis, cum infirmioribus, ad famam

& speciem sint initia. (2) Fœdera cum Turcis an licita? (3) Philosophia Grotii de fœdere universali l. 2. de J. B. & P. c. 15. §. 12. (4) Cautiones quædam indicatæ.

§. XXXVII. Bella sunt justæ publicorum armorum concertationes, & pacis causa geruntur, ab his, inter quos judicia cessant; non vero nisi ex necessitate, & causis justificis, claris atque evidentibus, sine quibus magna latrocinia sunt.

(1) Causa bellorum justa est læsio imminens vel illata. (2) plerumque ambitioni & avaritiæ prætexi bonum publicum aut religionem. (3) Præcepta & requisita justii belli suscipiendi, gerendi, finiendi. (4) Metus ex vicini crescentis potentia quid valeat. (5) Indiçtio per faciales aut manifesta an necessaria? (6) Cicero lib. 1. de Offic. c. XI. *Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiori. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine injuria in pace vivatur, &c.*

§. XXXVIII. Bellum feliciter geri non potest, sine milite, apparatu & pecunia. Miles est vir compositus in armis, ad vim faciendam, aut arcendam, certa lege. Est lectus, mercenarius, vel socius: navalis vel terrestris: domesticus velexternus; eques, pedes vel dimacha.

)1) Militia antiqua comparetur cum hodierna;

na; duces veteres cum recentioribus; cum equiratu peditatus. (2) In duce plus, quam in exercitu. (3) Quinque notæ boni Ducis, & totidem boni militis. (4) Militum cultus externus, stipendia, exercitia, commeatus mulierum, disciplina. L. 19. §. 7. de Captiv. *Disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum.* (5) Delectus militum ex Deut. xxii. v. 1. Tacitus ii. Hist. 84. *Prima belli cura agere delectus, revocare veteranos.* (6) Selecta quædam judicia de statura militari, Senecæ, Curtii, Flori, ad legis 3. C. Th. de Tiron. verba: *In quinque pedibus & septem unciis usualibus delectus habeatur.* (6) Scriptores Lipsius, Machiavellus, Hugo, Naudæus.

§. XXXIX. Ad apparatus militarem pertinet quicquid machinarum in armamentariis servatur etiam munimenta, arces, propugnacula & classes.

(1) De tormentorum, bombardarum, pulveris pyrii, cuniculorum & pyxidibus nauticæ inventoriis. (2) Veterum machinæ an idem præstiterint quod nostræ, adversus Amiratam & Lipsum. (3) In munimentis an plus periculi, an securitatis. (4) Origo vocis *Amiralii*. (5) Navium structura prisca & hodierna. (6) Florus lib. iv. c. xi. *Naves turribus atque tabulatis allevatæ, castrorum & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur, quæ quidem ipsa moles exitio fuit.*

§. XL. Pecuniam nervos belli esse, veteres dixerunt: ea depromitur ex patrimonio reip. seu ærario, quod Aristoteles scite cum stomacho comparavit.

(1) Nummus communis rerum utilium mensura & belli nervus. Cic. Philipp. II. c. 39. Tacit. 2. Hist. 84. (2) Ejus origo ex l. 1. D. de Contr. emt. (3) Monetæ varia nomina & genera: valor externus vel internus. (4) Cur metallis nobilioribus pretium eminens sit impositum. (5) Tacitus IV. Hist. 74. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis; neque stipendia sine tributis haberi queunt.*

§. XLI. *Ærarium impletur ex vectigalibus, portoriis, decumis, scripturis, præda, metallorum fodinis; maxime vero ex censu & tributis; in quorum impositione proportio observari, & invidia minui debet.*

(1) Inter varios contribuendi modos, per decimas, capitationem, assisam, gabellas, licentias, passagia, pedagia, telonia, quis sit melior?

(2) Optimum genus vectigalis ex l. ult. §. 7. D. de Publican.

(3) Cicero pro lege Manil. c. VII. *vectigalia nervos reip.* Florus lib. III. c. 13. *patrimonium imperii* vocavit, & Ulpian. in l. 1. §. 20. D. de Quæstion. *In tributis reip. nervos esse, nemini dubium est.*

(4) Tiberii vox laudabilis apud Sueton. in ej. vita c. XXXII. opposita Machiavello. (5) Neronis stultitia ex Tacito XIII. Ann. 50. (6) De Vespasiano Suetonius c. XVI. *Procuratoribus pro spangia dicebatur uti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.*

§. XLII. *Dominium eminens Reip. competit in cives, & res civium, boni communis causa; cui urgente necessitate cedere sua voluisse censendi sunt, qui*

in civilem cœtum coierunt. Est vel ordinarium, vel extraordinarium.

(1) Ejus fundamentum, justitia, & limites.

(2) Seneca VII. de Benef. c. 4. *Jure civili omnia Regis sunt: & tamen illa, quorum ad regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt, & unaquæque res habet possessorem suum. Itaque dare regi & domum, & mancipium, & pecuniam possumus: nec donare illi de suo dicimur. Ad reges enim potestates omnium pertinet, ad singulos proprietates.* (3) Bœclerus de Dominio eminente.

§. XLIII. Sextum Notitiæ caput agit de *Formis Rerump.* quæ aut regulares sunt, aut irregulares: In regularibus imperium summum ab uno homine, concilio, vel corpore exercetur. Earum tres sunt species: Monarchia, Aristocratia & Politia.

(1) Unde formarum diversitas. (2) Quæ sit alteri præferenda, inutilis controversia apud Herodotum & Xenophontem. (3) Eas difficiles cognitu esse, exemplo reip. Rom. declaretur & Græti querela lib. I. c. 3. §. 19. (4) Ex pacto civitatis & legibus fundamentalibus petenda, non ex administratione civitatis externa, ejusve habendi modo; neque ex vocabulis, insignibus, symbolis, simulacris, Historicis, Oratoribus vel Poetis. (5) Æschines contra Timarchum: *Constat inter omnes, tres esse formas rerump. principatum unius, potestatem paucorum, & populare imperium. Ac duo priora genera eorum arbitratur gerantur, qui rerum potiuntur: liberae autem civitates usitatis legibus.*

B 4

§. XLIV.

§. XLIV. Monarchia est summum unius personæ imperium, moribus aut legibus delatum, ad parentium salutem. Est vel absoluta, vel temperata: usufructuaria vel patrimonialis.

(1) Regni antiquitas, frequentia, & commoda. Cicero III. de LL. *Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt.* (2) Morbi alii Regum, alii status regii, ex Tacito. (3) Nominis regii abusus, & differentia a principatu. (4) Digressio de jure regio I *Sam.* VIII. VI. II (6) De Monarchia universali; an fuerit unquam, an utilis, an speranda?

§. XLV. Aristocratia est summum unius concilii imperium, quod ex eminentiore populi parte, sive Optimatibus, constat, ad publicum bonum. Est vel electiva, successiva, vel patrimonialis; pura vel temperata.

(1) Vicia Optimatium & status hujus ex Livio, & dissertationibus Machiavelli. (2) Dyarchicum imperium & condominium ab Aristocratia distinctum. (3) Optimatium jura majestatica; mittunt Legatos, condunt leges, quibus ipsi subsunt, ut singuli.

§. XLVI. Politia est universi populi imperium, ad communem utilitatem. Est vel pura, vel regie, aut aristocratice temperata.

(1) Populi imperium juxta libertatem, Tacit. VI. Ann. 42. (2) Major pars civium concludit, per curias, centurias vel tribus. (3) Mala ejus do-

domestica. (4) De vulgi indole, ejusque demagogis & tribunis, ex Cicerone, Sallustio & Atticis Oratoribus. (5) Tacitus ix. Ann. 32. *Non sine usu fuerit introspicere illa primo adspectu levia, ex quibus magnarum sæpe rerum motus oriuntur. Nam cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his, & constituta Reip. forma, laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel cum Patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur; Senatusque & optimatum ingenia, qui maxime perdidicerant &c.*

§. XLVII. Irregulares Respublicæ sunt, in quibus Majestas pluribus, divisim vel indivisim competit. Harum aliæ simplices sunt, aliæ compositæ. Simplicium exempla sunt: tyrannis, Oligarchia, Democratia & quædam mixtæ.

(1) Dari respp. mixtas, diversas a temperatis; contra Hobbesium. (2) Formæ earum diversæ, sed vix tres formæ miscentur. (3) Incommoda & non diuturna duratio. (4) Cicero lib. II. de Rep. apud Nonium, post Platonem, Aristotelem, & Polybium, inquit: *Statuo, esse optime constitutam reip. quæ ex tribus generibus illis, regio, optimo & populari confusa modice, nec puniendo irritet animum, immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentia civis deteriores reddat.*

§. XLVIII. Compositæ irregulares sunt systemata civitatum, quæ vel per

communem regem, vel per foedus arctissimum ita colligantur, ut ne singulæ desinant statum perfectæ civitatis retinere, sed quædam tantum ejus partes conjunctim ab omnibus sint exercendæ.

(1) Diversæ civitates uniuntur, vel sub uno capite; vel ut una resp. fiant; vel ut altera alterius appendix sit, suis tamen legibus regenda; vel ut altera deterioris conditionis reddatur. Vid. Grot. 1. 2. c. 9. §. 9. & Pufend. lib. VII. c. 5. §. 16. (2) Systematum variæ formæ. (3) Morbi & remedia. (4) Dubiæ quæstiones. Vid. Pufendorf de *Systemat. civitat.*

§. XLIX. Septimo Notitiæ capite indicatur *Finis rerump.* & quorum vere, quorum apparenter salus vertatur. Multis hac in re variatur modis: aliæ latam dominationem quærunt; divitias, luxum, aut libertatem aliæ. Optimæ reip. scopus est commune bonum

(1) Finis reip. vivere & bene vivere. Cicero lib. VIII. ad Att. XI. *Ut Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sic huic moderatori reip. beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis, maximi inter homines & optimi, illum esse perfectorem volo.* Ammianus Marcellinus lib. XXIX. ait: *Nihil aliud esse imperium, ut sapientes definiunt, nisi curam salutis alienæ.* (2) De civitate ex voto optima scriptores Plato, Morus, Campanella &c.

§. L. Media, quibus finis ille obtinetur,

netur, suggerit Ratio status; alias *Ratione di Stato*; quæ est subsidium, quo salus reip. pro temporum conditione procuratur. Limites ejus sunt pietas, fides, justitia, ad salutem & necessitatem reip. honestamque administrationis civilis amussim directa.

(1) Cicero lib. x. Fam. 16. *rationem reip.* Florus lib. i. c. 8. *Reip. rationem & utilitatem* appellavit. (2) Arcana status laudanda, distinguuntur a flagitiis dominationis, specioso velamine tectis. (3) Utriusque generis exempla, qua sacra, qua profana. (4) Cicero lib. ii. de Off. 20. *Fundamentum perpetuæ commendationis atque fame justitia est, sine qua nihil laudabile esse potest.*

§. LI. Ratio status alia generalis est, alia specialis, singulis rerump. formis accomodata. Alia in perfectis, alia in imperfectis, in potentioribus vel debilioribus rebusp. observanda. Alia ratione civium, vel exterorum; belli vel pacis.

(1) Disquirat illa de omni utilitate, & morbis Republicæ, ut & de morborum remediis & impedimentis. (2) Cicero lib. ii. ad Herenn. 56. *Utilitatis duæ partes videntur esse, incolumitas & potentia. Incolumitas est salutis tutâ atque integrâ conservatio. Potentia est ad sua conservanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas.* (3) Dux Rohaneus in Trutina Statuum Europæ: *Prout Principes subjeclis suis, sic Ratio status imperat Principibus.*

§. LII.

§. LII. Octavum Notitiæ caput Regnorum & Rerumpublicarum considerat insignia, prærogativas, divisiones, & prætensiones; Regum periodos, titulos, auspicia, characteres, & regni capiendi vel amittendi modos.

(1) Fundamenta præcedentiæ vera & simulata. (2) Titulorum vanitas, mutatio & inconstantia. (3) Zwanzig theatrum præcedentiæ. (4) Schwederi corpus prætensionum (5) Divisionum varia ratio, & mala. Justinus, lib. XXI. c. 1. *Firminus futurum esse regnum, si penes unum remansisset, quam si portionibus inter plures filios divideretur.*

§. LIII. Modi Principatus capiendi sunt, Electio & Successio. Hæc ad mares tantum pertinet, vel feminas admittit. Inter mares præfertur natu maximus, in individuis successivis: in herilibus certa dominorum domus, ceteri servi: voluntas ultimi defuncti in patrimonialibus seu hereditariis dominatur.

(1) Deum non esse causam regum immediatam, ex Petro epist. 1. c. 2. v. 13. (2) Fontes doctrinæ contrariæ (3) Electio antiquior, successio receptior: utriusque commoda & incommoda. (4) Quænam præsumatur, si nihil dictum sit? (5) Successivum regnum potest esse limitatum, & electitium esse absolutum; rarius tamen. (6) Differentia regni hereditarii & successivi. (7) Cur filia regulariter exclusæ sint, & ubi admittantur.

tantur. (8) Successio Linealis cognatica & agnatica. (9) Tacitus IV. Hist. 52. *Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerus liberorum.* (10) Commoda juris primogenituræ præ divisione, ex Genes. XLIX. 3. & Justino I. XVI. c. 2. (11) Herodotus lib. VII. *Tanquam lege constitutum est inter omnes homines, ut maximus natu imperium habeat.*

§. LIV. Per electionem reges designat populus, aut Optimates, quibus populus jus suum expresse vel tacite concessit.

(1) Electio libera est. aut ad familiam, nationem, aliasque qualitates restricta, (2) Cautiones, ne regna successiva pro electitiis, vel electitia pro successivis habeantur. (3) Galba apud Tacitum lib. I. Hist. 16. *Loco libertatis erit, quod eligi cepimus. Et finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari & nasci a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi judicium integrum, & si velis eligere, consensu monstratur.*

§. LV. In regnis limitatis successivis leges fundamentales obtinent, in electitiis Capitulationes; quas Hobbefius male negat servari debere.

(1) Legum fundamentalium exempla. (2) Clausula Capitulationum commissoria vel cassatoria. (3) De fide Principum, jurijurando pari, adversus Machiavellum. (4) Thucydides lib. IV. c. 15. *Fraus, ait, cum sit in omnibus fœda, tum vero maxime in iis, qui majore dignitate præditisunt, fœdior est, quam violentia.*

§. LVI. Desinunt Reges esse morte,

ab-

abdicatione & depositione : & tum in electitiis de vicaria potestate , in successivis de tutela quæritur.

(1) Abdicari regnum posse, sine consensu populi, quocum aliter non convenit. (2) Quando alienari, dividi & transferri. (3) Renunciatio parentum an liberis noceat. (4) Rex injustus & malus an vi pelli, aut supplicio affici possit? Vid. Grot. l. 2. c. 4. §. 8. seqq. (5) Quæ conditiones tyrannum faciant, definitu difficile. (6) Quis ejus rei sit iudex? (7) Exempla certa & dubia tyrannorum. (8) De exitu dominantium monita Taciti IV. Ann. XI. 1. Hist. 40. & Suetonii Domitiano c. 21. (9) *Quomodo fertilitatem aut nimios imbres; & cetera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vicia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur,* monet Tacitus IV. Hist. 74.

§. LVII. Vicaria potestas electione vel lege publica, in casum regis deficientis, captivi vel absentis constituitur, & vel ad omnia regni negotia sese extendit, vel ad ea, quæ moram non patiuntur.

(1) Mala interregnum eorumque remedia, apud Bodin lib. VI. de Rep. c. 5. (2) Proregi quid in dubio liceat: an gaudeat majestate? (3) De filio, patris ægroti vel captivi vicario, ex II. Paralipom. XXVI.

§. LVIII. Tutelam regum impuberum gerunt, quibus lex publica eam defert; qua

qua deficiente , in regnis non tantum patrimonialibus , sed & usufructuariis testamentariæ tutelæ est locus ; in illis etiam legitimæ & maternæ , in his non item. Quod si nec legitimus nec testamentarius tutor adsit , populus Regi prospicit.

(1) Ætas apta regno , si legibus non est expressa , unde definiri debeat. (2) Quæ tutorum sit potestas , an summa , an legislatoria ? (3) Majestatem habet rex pupillus , illi exercitium ejus. (4) Prov. x. vñ. 16. *Væ tibi regno , cujus Rex puer est*, (5) De Clientelaribus regibus Suetonius Augusto c. 48. *Rectorem quoque solitus apponere Regibus ætate parvis , aut mente lapsis , donec adolescerent , aut resipiscerent , & plurimorum liberos & educavit simul cum suis & instituit.*

§. LIX. Principis imperantis spectari debet ætas , inauguratio , forma , prudentia , fama , virtutes , vitia , religio , auctoritas , cognatio , affinitas , palatia , supellex , mensa , vestis & aula.

(1) Qualis Rex , talis grex. (2) Boni Principis notæ peculiæ , ex Lipsio lib. 2. 3. 4. civ. doct. (3) Principis malæ causæ : facultates , licentia & assentatio ex Vellejo l. 2. c. 82. (4) Principum religio. (5) Artes & scientiæ Principe dignæ. (6) De Regis institutione scriptores Orosius , Erasmus , Mariana , Balzacus (7) Grotii consilium Carolo Gustavo datum , apud Pufendorf lib. VII. Hist. Car. Gust. §. 3. (8) Seneca l. de clem. c. 3. *Illius demum Principis magnitudo stabilis fundataque est , quem omnes*
tara

tam supra se esse, quam pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum atque universorum, cottidie experiuntur. Quo procedente non tanquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt: sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant; obicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit.

§. LX. In aula occurrit Principis conjux, concubinæ, liberi legitimi & naturales, comites, custodes, ministri.

(1) Filiorum primogenitorum cognomina, redditus & jura. (2) Appanagia postgenitorum antiqua, ex 2 Paralip. xi. 23. (3) Paragiorum recentior institutio. (4) Legitimationis naturalium effectus. (5) Aulici mores depicti. (6) Plinius paneg. c. 83. *Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultius uxor assumpta, aut retenta patientius: ita foris claros domestica destruebat infamia, & ne maximi Principes haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores essent.*

§. LXI. Ministris opus est Regi, ad regendam summæ reip. molem. Horum alii rebus agendis præfunt; alii ad aulæ usum; comitatum exornant alii; sæpe vis omnis penes unum est.

(1) Notæ boni Ministri status, ejusque requisiti. (2) Præstare mali Principis bonos consiliarios, quam boni malos. (3) Ministrissimorum exitus plerumque cruentos fuisse, exemplis antiquis & recentibus probetur. (4) Ecclesiast. c. x. 2. *Qualis est iudex populi, tales etiam sunt ministri ejus, & qualis est dux civitatis, tales omnes*

habitatores ejus. Rex rudis perdit populum suum, civitas vero intelligentia potentum habitabitur, &c.

§. LXII. Nonum Notitiæ caput complectitur *Viros*, quos sapientia, vel litterarum, scientiæ civilis, vel militaris peritia; aut casus *illustres* fecit, atque ad dignitates Ecclesiasticas, civiles, militares vel palatinas evexit.

(1) Rerump. columnen in uno sæpe stetit viro, exemplis Theophrasti & Xenophontis apud Tacit. XII. Ann. 61. (2) Livius præfat. *Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibusque artibus, domi militiæque & partum & auctum imperium sit.* (3) Tacitus lib. XVI. Ann. 16. *Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exsequiis à promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.*

§. LXIII. Ultimum caput *instrumenta & scriptores*, cujusvis Reip. cognoscendæ necessarios, commendabit. In præcognitis his generalibus videndi (1) Prudentiæ civilis Doctores (2) Descriptiones rerump. (3) Historici politici, universales & particulares. (4) Collectores actorum publicorum (5) Geographiæ & Chronologiæ (6) Genealogiæ & artis Heraldicæ magistri (7) Libri itinerarii (8) Epistolæ & legationum commentarii (9) Vitarum illustrium

strium scriptores, & lexicographi meliores.

§. LXIV. Prudentiæ civilis Magistræ regulas tradunt generales constituendæ & conservandæ civitatis; ad quas singularum rerumpublicarum arcana, oculo politico examinari debent.

- (1) Laus Aristotelis, & de ejus Politicorum libris judicium. Vid. Grot. proleg. de J. B. & P. §. 42. (2) De Machiavello acerba Casauboni & Possævini sententia; mitior Lipsii, Scioppii, Conringii, Forstneri & Amelotti. Machiavellistæ ante Machiavellum. (3) Joh. Bodinus an fuerit magus, atheus & Andius sine bono, ut Cujac. iudit lib. xviii. Obs. 38. (4) De Lipsii doctrina, religione, fatis, Grot. lib. xv. Hist. ad Ann. 1606. & Boecler. de Polit. Lips. tom. 3. (5) Hobbesius a Coquo, Parkero, Cumberlandio & Kortholto culpatus, ab aliis defensus. (6) De Bruti, sive Huberti Langueti, Buchanani, Hotmani, Miltoni, Parei, Sidneji, aliorumque Monarchomachorum propositionibus vid. Observ. Hallens. tom. vi. & Baylii dissertatio. (7) De fictis rebusp. Platonis & Ciceronis, Livius l. xxvi. 22. *Non equidem, si qua sit sapientum civitas, quam docti fingunt magis, quam norunt.* Augustinus epist. 202. *Illi doctissimi viri, qui temp. civitatemque terrenam, qualis eis esse debere videbatur, magis domesticis disputationibus requirebant, vel etiam describebant, quam publicis actionibus instituebant, vel etiam formabant.* (8) Quis auctor Historiæ Severambium?

§. LXV. Descriptiones rerumpublicarum, utramque paginam in hoc studio

dio faciunt, sed maxime recentiores, in quibus delectu opus est; quia paucissimæ accurate contextæ sunt.

(1) Huc pertinent *Relationes Venetorum* Lot-
tini, Boteri, Sansovini, Entis, Honorii & Bel-
li. (2) *Respublicæ Elzevirianæ*, quarum plera-
que vix typi commendant. (3) Petri Davity de-
scription generale de l'Europe vi. tom. Paris.
1660. Unde petiti *Les Etats, Empires & Prin-*
cipautés du monde par D. T. V. Y. Gotofredi
Archontologia Cosmica & Lucæ de Linda De-
scriptio orbis. (4) *Oldenburgeri sive Confringii*
Theſaurus Rerump. quadripartitus. (5) *Becmani-*
ni Historia orbis terrarum, & Syntagma dignita-
tum. (6) *Trajani Boccalini lapis Lydius, & re-*
lationes ex Parnasso: ejus fata apud Erythræum
in Pinacotheca pag. 272. & 366. (7) *De Roha-*
nei Trutina Statuum Europæ, Grotius epist. 948.
Bosii Introductio in notit rerump. Zechii, sive
Leutolphi a Franckenberg Europæischer Herold:
Hornii Orbis politicus & orbis imperans: Gudii
Staten. (8) *Les Delices vel Etats presents de*
l'Espagne, de la France, de la Hollande &c.
(9) Espion dans les Cours des Princes Chretien-
nes; cujus auctor, Joh. Paulus Marana, obiit Pa-
ris. A. 1693. (10) *Forstnerus ad Tacit. 1. An-*
nal. c. xi. Vulgus Scholasticorum tripertito illo
Theſauri politici opere, & aliis quibusdam schedis,
hinc inde a falsariis quibusdam divenditis, omnem
politicam sapientiam contineri putat: Plura qui-
dem ibi tradita Reip. gerendæ præcepta contemnen-
da non sunt: sed opes publicas, tributa, vectiga-
lia, arma, vires, onera, aut, ut ipsi vocant, ex-
pensas, certo pondere, numero mensura definire,
ineptæ præsumtionis est.

§. LXVI. Historia porro verissima Notitiæ hujus schola est, lux veritatis, vita memoriæ, & nuncia vetustatis. Est universalis, vel particularis: domestica vel peregrina: antiqua, media, aut nova.

(1) Sex notæ boni historici, ex Halicarnassensi, Luciano & Artis historicae penu contractæ. (2) Historiæ universalis, generalis & specialis laus, voluptas, difficultas, incertitudo, ejusque causæ. (3) Selecta quædam judicia de Historicis melioribus, qua Græcis, qua Latinis. (4) Inter recentiores Sleidanus, Bembus, Æmilius, Jovius, Camdenus, sed maxime Thuanus, Victorius Siri, & Sam. Pufendorfius commendentur. (5) De editionibus Thuani, & translationibus Pufendorffii, aliisque ejus operibus, huc pertinentibus. (6) Præclare Polybius lib. III. c. 31. *Ab historia si quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine quodque fuerit gestum, Et an ex ratione satis ceciderit; quicquid in eo reliqui, id ludicrum magis erit, quam doctrina.* (7) Cicero lib. II. de Orat. c. 15. *Quis nescit primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde, ne quid vere non audeat? ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo? ne qua simultatis.*

§. LXVII. Sed quia vix quisquam Historicorum aut non aliquid est mentitus, aut falsa non narravit, aut mutatio quædam non est facta: ideo Acta publica, & Decreta regnorum, Legum, Fœderum, Pacis tabulæ, Diplomata,
De-

Deductiones, Manifesta, & Anecdota addenda sunt: etiam Memoriarum, Novellarum quotidianarum, Mercurii Hollandici, Anglici, Gallici, initia historiarum contextarum.

(1) Vopiscus in Aureliano cap. 2. *Neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Corn. Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur.* (2) Quælibet fere regna collectores habuerunt Actorum, Puteanos, Goldastum, Rymerum, ab Aitzema, suis locis laudandos. (3) Universim profunt Theatrum & Diarium Europæum; Theatrum pacis; Montii Recueil des Traités d'alliances, des treves &c. Leibnitii Codex diplomaticus. Le Corps Diplomatique. (4) De re diplomatica labores Conringii, Papebrochii, Henschenii & imprimis Mabillonii. (5) De memoriis Cominæi, Bellaji, Monlucii, Mornæi, Villaregii, Brantomii, Sullii, Guittii, Walsinghami, Monbrunii, Bassompetræ, Rabutinii, Auberii, Templii, Melvillii, Dudleji, Burneti, aliorumque Cl. Menckenius de comment. Historicis adeundus. Tacitus lib. XIII. Annal. 31. *Ex dignitate populi Romani repertum est, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.* (6) *Actes & memoires de la paix de Munster, Nimegue, Ryswick, Utrecht.* (7) Rectus usus novellarum historiarum. (8) Cornelius Nepos in Attico c. 18. *Nulla lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quæ non ab eo suo tempore sit notata.*

S. LXVIII. Geographia & Chronologia

logia duo Notitiæ oculi sunt, apprime necessarii; quia omnis limitum, bellorumque gestorum aut gerendorum ratio cæca est, si loca & tempora confundantur.

(1) Geographia differt a Cosmographia, ut pars a toto: a Chorographia & Topographia, ut totum a partibus (2) est vel generalis, in qua terræ affectiones & divisiones, vel specialis in qua termini, situs, partes & insulæ explicantur. (3) Tabularum Geographicarum antiquitas, usus, discrimina, auctores optimi. Propert. lib. iv. Eleg. 3. vs. 36. *Cogor & e tabula pictos ediscere mundos.* Sueton. Domit. c. 10. *depictum orbem terræ in membrana.* Eumenius Panegy. c. 20. *quo facilius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur audita, omnium, cum nominibus suis, locorum situs, spatia intervalla descripta sunt, quicquid ubique fluminum oritur & conditur, quacunque se litorum sinus flectunt, quo ambitu cingit orbem oceanus.* (4) Geographiæ mediæ ævi defectus, ejusque causæ. (5) In antiqua Cellarius, in novissima Hubnerus commendatur. (6) Ptolemæi cautio lib. i. Geograph. c. 5. *ut novissimis potissimum attendamus, propter multas in variis terrarum locis, tempore procedente, factas mutationes.*

§. LXIX. Genealogia & ars Heraldica illustres familias, earumque prærogativas, & insignia in numerato habere docent, ad cognationes, affinitates & controversias de successione rectius intelligendas.

(1) Ori-

(1) Origines familiarum cur à Trojanis, Romanis vel à Carolo M. & Wittekindo olim petita.
 (2) Sansovini, Ammirati, Zazzera. (3) Gothofredi, Blondelli, Vignierii, Buchetii, Sammarthani, Baluzii & Quercetani. (4) Chifletii, Butkenii & Vredii. (5) Reineccii, Henningii, Reufneri, Rittershuffii, Lohmeieri, Imhofii, Eccardi & Hubneri scripta. (6) *Insignium* origo, à scutis pictis apud Virgil. vii. Æneid. 657. & Tacit. de M. G. c. 6. sed hereditaria, exeunte seculo decimo, à cruciatis in Palæstinam susceptis, a feudis & torneamentis. (7) Arndii Catalogus artis Heraldicæ scriptorum. (8) Nepos de Attico c. 18. *Quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, quibus nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum.*

§. LXX. Ad hunc apparatus quoque referendi sunt Topographi, Chorographi & libri itinerarii, qui, præter situm regionis, mores incolarum, & reip. administrationem haud raro describunt; verum non omnes Bacchi, qui thyrsos gerunt: plerique omittunt, quæ omitti non debebant.

(1) Non unus omnibus fuit scopus: Sponius & Wehlerus, Tollius & Schottus, Mabillon & Montfaucon maxime antiquitates quæsierunt.
 (2) Jardinus, Eremita, Tavernierius, Miffon, & Burnetus magis ea, quæ ad prudentiam civilem pertinent. (3) Recte Bœclerus de Peregr. Germ. pag. 12. *Ingerant se illis libris favores & odia,*

Et præconceptæ domi de peregrinis populis opiniones. Hinc est, quod res Germanicas, Galli & Itali vix unquam ad liquidum intuentur aut describunt, ex adverso Germani, nimia exterarum rerum admiratione, in majus aliquando augeant.

§. LXXI. Ex Epistolis & legationum commentariis eo certiora adminicula peti possunt, quo magis stilus liber & verba quotidiana animum nudant, veraque judicia in sinum amici effundunt; in his vero regnorum arcana plerumque continentur.

(1) Huc refer epistolas Æneæ Sylvii, Bushequii, Forstneri, Lipsii, Erasmi, Grotii, Boineburgii, Conringii, Aretini, Wiquefortii, Templii, & Lettres historiques; (2) præ ceteris epistolæ Cardinalis Arnaldi Offati, cum Amelotti notis, de quibus dici potest, quod Cicero ad Atticum XVI. ep. 11. *Epistola longissima queque optima videtur.* (3) Inter Legationes, & negotiationes eminent Perronii, Paschalii, Jeanninii, Bassompetræ, Canaji, Walsinghami, aliæque ad hanc formam compositæ. (4) Adde Historias, litteras, ministeria & comparationes Cardinalium Riceliaci & Mazarini; (5) ut & Lettres & negotiations de Mess. d'Etrades, Colbert, Croissy, & d'Aveaux; (6) Orationes legatorum & illustrium Lunigii, &c.

§. LXII. Agmen claudant biographi universales, vel singularium nationum & hominum: tum lexica Historica Morerii, Baylii, Hofmanni, Buddei,

dei; in quibus vitæ virorum, qui literis, armis aut consiliis Reipublicæ profuerunt, describuntur.

(1) Dicatur de Konigii bibliotheca; Freheri, Batefii, Adami, Leti, Eraſmi vitis. (2) Pauli Jovii & Teiffierii elogia. (3) Anonymi & Pseudonymi Placcii. (4) Libri in ana. (5) Parallele de Philippe II. & Louis XIV. De Ximenes & Richelieu &c. (5) Recte Comicus Adelph. Act. III. sc. 4. 52. *Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium jubea, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.*



GERMANIA

SECTIO I.

De Ortu & Progressu civitatis.

§. I.

Germaniæ vocabulum non Romanis, sed Gallis originem debet; qui victores suos ob metum *Guerre Mans*, viros bellicosos appellarunt, nomine glorioso, ab universa paullatim natione adoptato.

(1) Taciti locus vexatissimus de M. G. c. 2. *Germaniæ vocabulum recens & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sunt. Ita nationis nomen, non gentis evaluisse paullatim, ut omnes primum à victore (victis) ob metum, mox à se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* (2) Antiquitas nominis è Fastis triumphalibus apud Pighium tom. II. Annal. pag. xxvi. fin. (3) Male Strabo & Plutarchus, quia fratres *Germani*; alii à *Gera* fluvio; alii ab *Hermionibus*, quasi *Heermänner*. Vid. Eggelin-

gii diff. *de Vocabulo Germania.* (4) Teutones à diet, *teut* populo; vel potius a *Tuistone* duce, quem Cæsar *Ditem*, alii *Tentatem* vocarunt.

(5) Alemanni, quasi allerley mannen, *convenæ sunt, ex variis nationibus collecti, idipsum apud eos significante vocabulo*, ait Agathias lib. I. Hist.

§. II. Germaniæ magnæ populi, florente imperio Romano, in unam civitatem nondum coivere; sed fœdere quodam laxiore inter se colligati, & triumphati magis, quam victi aut domiti, sui juris manserunt.

(1) Expeditiones Cæsaris, Drusi, Tiberii, &c. adversus Germanos. Vid. Cellarii diff. *de Cæsaris adversus Ariovistum bellis.* Item *de Claudii Drusi expeditionibus, & de Germanico Cæsare.*

(2) Quintilii Vari clades in saltu Teutoburgico, inter Paderbornam, Detmoldiam & Hornam, apud Sueton. Aug. c. 23. & Florum lib. IV. c. 12. ubi: *Germaniam utinam vincere tanti non putasset! magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita.* (3) Fœda Velleji Paterculi adulatio lib.

2. c. 108. *Nihil erat jam in Germania, quod viri possent, præter gentem Marcomannorum.* (4) Pauli l. II. *D. de Evict.* de prædiis, in Germania trans Rhenum, ex præcepto principali partim distractis, partim veteranis in præmia adsignatis, ex Spartiano in Caracalla c. 10. illustrata.

(5) Nummus Constantini, in quo ALEMANNIA DEVICTA, & FRANC. ET ALEM. TR. apud Morellium Tab. 7. Alii, in quibus jacens mulier, cum inscriptione GAUDIVM ROMANORVM, & infra FRANCIA vel ALEMANNIA, apud Spanhemium de Præstant. & usu num. diff. 13. pag. 638.

§. III.

§. III. Clodoveus, Francorum rex, Alemannis A. ccccxcvi. superatis, mox Bojoarios in fidem recepit, ac Thuringis tributum imposuit; quibus Carolus M. Saxones, Slavos & Venedos adiecit, folio regni Aquisgrani constituto.

(1) An Germania Franco-Galliæ appendix facta, ut voluit Pufend. de statu imp. c. 1. §. 6. (2) an vero vetus Franciæ regnum in Germania fuerit continuatum? ut Hert. notit. regni Franc. c. 1. §. 30. seqq. (3) Contra Gallorum jactationem, hoc notandum, de quibus Grot. Append. Epist. 738. *Galli sibi fingunt jura, quibus aliarum gentium nulla assentiuntur. Quale est jus, quod vocant unionis, ex quo cuncta a regibus Galliæ semel possessa, etiamsi aliunde ei obvenerint, apud Regem manere debeant, exclusis iis, ad quos alioqui venire debebat hereditas.*

§. IV. At postquam Ludovici Pii filii A. dcccxlili. amplissimam Francorum monarchiam in tria regna dividerunt, Germania proprium Regem Ludovicum II. suasque rationes separatas habere cœpit.

(1) De pactione illa, Viroduni inita, vid. Annales Metenses & Bertinianos ad dict. ann. 843. Nithardum lib. 4. (2) Tabulas divisionis regni Lotharii A. 870. Inter Ludovicum & Carolum habet Baluz. tom. 11. Capit. & Miræus Cod. piar. donat. Vid. Schurtzfleisch de divisione Imp. Carolini, diss. 3. (3) Trithemius de Orig. Francorum: *Ab illo tempore cœpta regni Francorum divisio, bipartita mansit jam per annos 673.*

usque

usque in presentem diem, manebitque deinceps perpetua.

§. V. Extincta A. DCCCXI. hac Carolidarum stirpe, populi Germaniæ sui juris facti, solis Ducibus parere potuissent, sed placuit regis electio, quæ post Conradum, Saxonicos, Francicos, Suevicos, Habsburgicos, Lutzburgicos & Austriacos imperantes dedit.

(1) Deficiente familia regnatrice populum sui juris fieri, ex Grot. lib. II. c. 15. §. 1. & 2.

(2) An nova electio jura Regum Francorum ad Saxonicos detulerit, & an illi ea exercuerint. Otto Frising. lib. VI. c. 17. *Sicut Merovingis deficientibus, ac Carolis succedentibus regnum tamen mansit Francorum: sic & Carolis decedentibus ex alia familia seu lingua, in uno tamen regno, Ottones subintroiere.* (3) Veteris successionis in hisce familiis imago. Carolus Calvus in Capit. tit. 30. c. 1. apud Baluz. tom. 2. pag. 133. *Ex olitana (id est prisca) consuetudine, in Francorum regno, reges ex genere prodeunt.*

§. VI. Regni majestas, quies & felicitas sub Saxonis maxima, Henrici IV & V. Franconicorum temporibus, per discordiam regni & sacerdotii; deinde sub Suevicis, per fatales Guelforum & Gibellinorum factiones imminuta; tandem, exorto interregno, per diffidationes & bella civilia pæne extincta est.

(1) Laus

(1) Laus Henrici Aucupis, quod urbes condidit, marchiones instituit, & militiam Iudis equestribus emendavit. *Natum Henricum toti mundo necessarium*, ait Witich. lib. 1. Annal. vid. Cl. Gundling. Henr. Aucupem. (2) De exquisita Ottonum in Duces & Episcopos domi, foris in Romanos, Italos, Bohemos, Danos, Polonos potestate, V. Cusan. t. 3. de concord. Cath. c. 36. (3) Damna ex hierarchia papali. Otto Frising. lib. 6. Chron. c. 3. *Vide, jam regno decrescente ecclesiam tantæ auctoritatis factam, ut etiam Reges iudicet!* (4) Auctor vitæ Henrici IV. apud Urstisium t. 1. p. 371. *Pueriles anni Regii multis animum suggerebant sceleris &c.* (5) Nomina Guelforum & Gibellinorum unde, Vid. Otton. Frising. lib. 2. de gestis Frid. c. 2. (6) Interregnum longissimum ab A. 1254. ad A. 1273 an vere fuerit tale, dubitavit Gundlingius in Historia Richardi.

§. VII. Subvenit rursus Rudolphus Habsburgicus, pace publica è ruinis instaurata; & Carolus IV. condita Aurea Bulla; maxime vero Maximilianus I. Pace profana, iudicio Camerali & Circulis constitutis, regni statum melius ordinavit: donec sub Carolo V. Ferdinando I & III. per Capitulationes & Pacem, qua religiosam, qua Westphalicam, libertati Statuum & Religioni plene consuleretur.

(1) Dicterium Maximiliani I. de Carolo IV. *pestilentiore pestem nunquam Germania contigisse.*

(2) An fuerit imperii dissipator injustus, ut eum vocat

vocat Theod. a Niem. lib. II. de scism. c. 25.
 Vid. Schurtzfleisch. diff. XI. (3) Freherus ad
 Gewold. pag. 25. *Carolus IV. insignis ille Prin-*
ceps, sui seculi Salomo, utrague in imperio auctor,
Chrysobullæ architectus, de Electoribus & aliis
Ordinibus bene meritus, si quis alius ante unquam.
 (4) Maximiliani I. laudes collectæ apud Datte
 de Pac. publ. lib. v. c. I.

S E C T I O II.

De Finibus & natura regionis.

§. VIII. Antiqua Germania ab ori-
 ente Vistula, ab occasu Rheno, a me-
 ridie Danubio, a Septentione Oceano
 terminata, a Romanis Germania magna
 & transrhenana dicebatur, ad differen-
 tiam Cisirhenanæ, in Rheni littore Gal-
 lico enatæ.

(1) Ita Taciti & Melæ tempore, etiam se-
 rius, v. l. 9. *C. Th. de Re mil. l. un C. de Lusor.*
Danub. (2) Fines alii naturales, alii latiores
 politici, fluvios illos egredientes. (3) Horum
 ratio apud Strabon. lib. 7. *Geogr. Commune om-*
nium est, qui in illis locis degunt, facilis & ex-
pedita sedium mutatio, ob tenuitatem victus, &
quod neque colant agros, neque fructus recon-
dant; sed in casis degunt, structura in unum
diem constantibus. Cibus ei a pecore plurimus, ut
& Nomadibus; quorum etiam imitatione rebus suis
in currus impositis, facile cum pecore suo abeunt,
quo visum fuerit. (4) Cisirhenana Germania tem-
 pore Augusti in provinciam redacta, aliaque supe-
 rior fuit, cujus metropolis Magontiacum, alia
 infe-

inferior, cujus caput Colonia Agrippinensis.
 (5) Hinc DUAE GERMANIAE apud Grut. p. 375.
 n. 1. *sub duobus Praesidibus constitutae*, ait Ma-
 cer in l. 3. D. de Off. assess. Paulus in *Germania*
inferiore Agrippinenses locat, in l. 8. §. 2. D. de
 Censib.

§. IX. Hodie versus Orientem fines
 habet Poloniam atque Ungariam, ver-
 sus Occidentem Galliam atque Bel-
 gium; versus meridiem Italiam & Hel-
 vetiam; versus Septentrionem Ocea-
 num & Balticum mare.

(1) Fines alii ante imperium Carolingicum,
 alii sub illo, alii illo diviso. (2) alii tempore Ot-
 tonum, ad interregnum usque. (3) alii rursus post
 pacem Westphalicam, Neomagensem, Rys-
 wicensem ac Rastadio Badensem. (4) Vid. Con-
 ring. de finib. imp.

§. IX. Fluvii majores sunt Rhenus,
 Amisus, Visurgis, Albis, Danubius,
 Vistula; minores infiniti ab illis exci-
 piuntur.

(1) V. gr. Rhenus excipit Moenum, Nicrum,
 Lanum, Navum & Luppiam: Fuldam Visur-
 gis: Salam & Muldam Albis; Lechum Da-
 nubius. (2) Tacitus Danubium & Rhenum *ve-*
tera imperii munimenta vocat lib. iv. Hist. 26.
 & utrumque describit d. M. G. c. 1. (3) Rhe-
 nus unde dictus? cur nobilis vocatus? ejus
 ortus & auriferæ arenæ. (4) In nummis
 Germania expressa Rheno Danubioque patre,
 apud Ant. Augustin. dial. III. n. 20. seqq. (5)
 Martialis lib. x. ep. 7.

Nympharum pater amniumque Rhenus.

§. X.

§. X. Vastum regni territorium, omnium in Europa maximum, Maximilianus I. in decem Circulos divisit: Auftriacum, Bavaricum, Suevicum, Franconicum, Rhenanum superiorem & inferiorem, Saxonicum sup. & inf. Westphalicum & Burgundicum; cujus tamen vix rudera supersunt.

(1) Quinque populi principes, à Plinio lib. iv. Hist. nat. cap. 14. memorati, an huic divisioni dederint occasionem? (2) Potius Provinciæ cardinales à Francis, Alemannis, Bojoariis, Saxonibus & Thuringis sunt constitutæ: quibus postea Lotharingi, & Venedi accesserunt. Vid. Ott. Frising. lib. vi. Chr. c. 15. 19. Liuthprand. l. 2. cap. 7. (3) Qua ratione Maximilianus A. 1500. & 1512. territoria minora in circulos, seu Pagos, ut Grotius vocat, descripserit. (4) Titius Spec. J. P. lib. vi. c. 3 §. 31. *Si ex presente tempore institutum illud æstimandum sit, ejus necessitas & utilitas forsitan tam facile probari non potest, quam asseritur &c.*

§. XI. Urbes & castella complura Romani cis Rhenum ædificarunt: Carolingici vero & Henricus Auceps Germaniam magnam oppidis elegantiolem & arcibus tutiorem efficere cœperunt: nunc vero, nemoribus ad usum decusque castigatis, urbes numero & ornatu pleraque alia regna superant.

(1) Germaniæ primæ Metropolis Moguntiacum; nobilis quondam civitas Hieronymo ad Age-

rochiam (2) Augusta Treverorum *opulentissima* Melæ lib. III. 2. *clarissima* Gratiano dicta, in l. II. C. Th. de Medicis. (3) Coloniam Agrippinensem, Germaniæ secundæ metropolim, *opulentam auctamque* vocat Tacitus IV. Hist. 63. *urbem munitissimam* Ammian. lib. XVI. 3. (4) Cur Caroli M. ætate nullæ trans Rhenum urbes; licet Trajanus apud Eutropium, & Probus apud Vopiscum eas ibi posuisse vel reparasse ferantur? Ammianus lib. XVI. c. 3. *oppida, ut circumdata retiis lustra, declinant.* (5) An Henricus I. recte *Theseus Germaniæ* dicatur?

§. XII. Harum aliæ Imperiales vocantur, aliæ Municipales: aliæ Electorum, Ducum, Principum vel Episcoporum sunt sedes: aliæ adversus hostium incursiones munitæ: in aliis commercia & res navalis florent.

(1) Civitatum imperialium origo, jura, numerus & divitiæ. (2) Sedes Electorum Moguntia, Treviris, Bonna, Monachium, Dresda, Colonia ad Spream, Manheimium & Hanovera. (3) Turcis Vienna; Polonis Uratislavia; Danis Hamburgum & Lubeca; Belgis Vesalia & Colonia Agrippina; Gallis Brisacum & Friburgum sunt opposita. (4) Lubeca, Brema & Hamburgum, dissoluto foedere, *Hanseaticæ* dicuntur. (5) Portus habet Steinum, Stralsunda, Wismaria, Rostochium, Kilonia, Embda.

§. XIII. Terra, artibus & copiis ex-culta, omnibus, quæ ad victum, cultum luxumque pertinent, abundat; feris, gregibus, lana, lino, equis, sale, fru-

frumento, & vino imprimis generosiore,
ad satietatem totius Europæ.

(1) Tacitus de M. G. c. 5. *Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut sylvis horrida, aut paludibus fœda.* Idem Mela scribit lib. III. c. 3. & Cæsar. lib. I. de B. G. c. 31. *non conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro.* (2) Plin. lib. XVII. 4. *Quid; ait, laudatius Germaniæ pabulis?* (3) Salis cocti copiam, præter Salisburgum & Lunenburgum, Halæ Saxonum, Suevorum & Austriacorum præbent, ab αλ, sale ita dictæ. (4) Vitis cultura cis Rhenum jam Probo Cæsare. (5) Cur Ludovico Germanico ibidem, *propter vini copiam, pagi cesserint,* auctore Sigeberto ad A. 842.

§. XIV. Ex jugo Hercinio ceterisque montibus asperis, egregia naturæ liberalitate, effoditur aurum, argentum, stannum, chalybs, ferrum, plumbum, sulphur, vitriolum, mercurius, antimonium, carbones, & quicquid ad mineralia referri potest: unde & fontium salubrium multitudo, adversus valetudinem afflictam.

(1) Tacitus de M. G. c. 5. *Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint, dubito. Nec tamen adfirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere. Quis enim scrutatus est?* Contra lib. XI. Ann. c. 20. Curtium Rufum, ait, *in agro Mattiaco specus quærendis venis argenti reclusisse.* Vid. Lips. lib. II. Saturn. c. I. sed melius Cluverius lib. 3. Germ. ant. c. 7. (2) *Tempus inventionis Ditmarus signat. lib. II. ann.*

pag. 333. *Temporibus Othonis aureum illuxit seculum, apud nos inventa primum vena argenti. Locum Otto Frising. lib VI. c. 24. Otho primus venas argenti & æris juxta civitatem Goslarum in Saxonia invenit. Vid. Meibomius de Metallifodinarum Harziacarum origine & progressu. (2) Germaniæ Plinius, Georgius Agricola lib. I. de vet. & nov. metall. Nostris temporibus Germania, præter ceteras Europæ regiones, magnam metallorum copiam effundit. Etenim auri ramenta defert Albis & multi rivi, idem effoditur in Westphalis Corbach: in Francis Sleineheide; in Lygiis Reichesteini, & Zucchemanteli, in Carpato monte. Argentum vero eruitur in Saxonia Cellerfeldi, & in finitimis locis: in Misena Fribergi, Mariebergi, Annebergi, Sænebergi, &c. (4) Thermæ & acidulæ Heilbronnæ, Badenæ, Aquisgrani, Swalbachii, Dunsteinii, Pyrmonti.*

§. XV. *Clima satis amœnum, aëre puro, & quanto magis ab æstu Solis remotum, tanto salubrius hominibus, etiamsi patria non sit: genii illius truculenti sane parum retinet, quem antiqui scriptores, molliores, opinor, aut fama decepti, prodiderunt.*

(1) Tacitus de M. G. c. 2. *Informem terris vocat, asperam cælo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit.* (2) Seneca de Provid. c. 4. *Perpetua illos hiems, triste cælum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimenta feras captant. Miseri tibi videntur? nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit, paullatim etiam voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt.* (3) Lipsius in notis bene monet,
hæc

hæc vera non esse, additque: *O quam hæc nunc aliter! & Germania oppidis, populis, ingeniis, artibus, opibus, cum quavis terrarum contendit.*

§. XVI. Trans Alpes territorio principali Carolus M. adjecit Regnum Italiæ, & Imperium Romanum, è ruinis instauratum: quæ Otho I. deinde A. 964. perpetuo jure ita cum Germania conjunxit, ut cuique suæ rationes & jura separata manserint.

(1) Regnum Italiæ Carolus, victo Desiderio, jure victoriæ accepit (2) Imperium Rom. cujus magnam partem possidebat, consentiente Irene & Impp. Orientis, renovavit; hinc in nummo ejus apud le Blanc Dissert. hist. sur quelques monnoyes pag. 24. RENOVATIO ROMAN. IMP.

(3) Similis Othonis nummus apud Mabillon. suppl. de Re dipl. c. XI. §. 3. RENOVATIO. IMPERII. ROMANORUM. (4) Verba pacti inter Othonem & Leonem VIII. apud Gratianum can. 23. dist. 63. Theod. a Niem, Schardiun & Goldastum: *Dignitatem concedimus atque largimur Dn. Othoni primo, Augusto, Teutonico regi providentissimo, spirituali in Christo filio nostro, ejusque successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum, tam sibi facultatem eligendi successorem, quam summæ sedis Apostolicæ pontificem ordinandi.*

(5) An titulus Imperii Rom. & primatus ex usu fuerit reip. Germanicæ? (6) Quid juris in Italiam hodie supersit.

§. XVII. Cis Alpes A. MXXXIII. pleno jure accessit Regnum Arelatense, quod septem Provinciis, ut Delphinatu,
D 3 Pro-

Provincia, Galliæ Lugdunensis & Ducatus Burgundici parte, Comitatu Burgundico, magna Helvetiæ parte & Sabaudia constitit: sed prioribus quinque a Gallo vindicatis, & Helvetiorum pagis nexu liberatis, sola Sabaudia superest.

(1) De acquisitione Wippo de vita Conr. pag. 438. & Sigebert. Gemblac. ad A. 1034. *Sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam.* Vid. Conring. de Finib. imp. lib. I. c. 12. 13. & lib. II. c. 24. seqq. Sim. Frid. Hahnii dissert. Hist. de *Justis Burgundici novi, vel Arelatensis regni limitibus & derelictione ejus Rudolpho I. perperam adscripta.* Schurtzfleisch diss. XI. *Quod Carolus IV. Aug. non dissipaverit Imperii patrimonium, quatenus pertinet ad Regnum Arelatense.*

(2) Cessio utriusque Landgraviatus Alfatæ Gallis facta, in Pace Monast. art. 73. 74. sed Comitatus Burgundici, Pace Neomag. art. 11. Argentorati Pace Rysvic. art. 16. (3) Helvetiorum pagis *plena libertas & exemptio ab Imperio, præter spem data, per Pacem Osnabr. art. 6. & Monast §. 61.*

§. XVIII. Trans Eidoram Slesvicum & Dania: cis & trans Vistulam, Othonis I. tempore, Polonia: deinde Masovia sub Conrado II. Hungaria sub Henrico II. & III. subjecta fuit: verum in fatali interregno jus imperii expiravit. Bohemiæ vero nexus A. MDCCVIII. postliminio renovatus est.

(1) Hel-

(1) Helmold. Chron. Salvor. lib. I. c. I. Polonia servit & ipsa, sicut Bohemia, sub tributo Imperatoriae majestatis. Vid. Schurzfleisch diff. 12. 14. 27. de Rebus Ungaricis, Danicis & Prusficis. (2) Schulzii Polonia nunquam tributaria, ex Ottone Frising. lib. VII. c. 19. & Ottone de S. Blasio c. 7. confutata. Conring. de finibus Imp. lib. I. c. 14. 17. 18. (3) Hertii diff. de Renovato Rom. Germ. Imperii & regni Bohemiae nexu. (4) An spes & jus sit, exempta recuperandi? an conducat? (5) Conring. de Finib. imp. c. 19. Ad Fridericum II. usque prisca Imperii Germanici facies, priscaque adeo limites sibi sic satis recte constiterunt. Exinde vero non gradu, non cursu, sed præcipite quodam lapsu corruens propemodum respublica simul & fines vehementer turbavit pæne ubivis, alibi confudit, alibi tantum non perdidit. Sane & si quos acquisivit, iterum perdidit. Ut longe sit difficillimum eos hodie, citra cujusquam injuriam, discernere.

S E C T I O III.

De Civium moribus & bonis fortunæ.

§. XIX. Origo Germanorum à Noacho, ejusque filio Japheto repetenda est; cujus posterii ex Armenia Syriaque, exundante multitudine, in Scythiæ regiones, inde in Germaniam, itinere terrestri, pervenisse videntur.

(1) Tacitus de M. G. c. 2. *indigenas* vocat, id est in solo illo ortos, quos alibi in Agric. c. II. *advenis* opponit. Vid. Ciceron. pro Flac-

co c. 26. (2) Somnia Rabbiorum, ab Aschkenatz Gen. x. vs. 2. repetentium, Bochartus explofit lib. iv. Geogr. Sacrae c. 38. sed ipse non multo melius ex Ægypto eos deducit p. 2. lib. 1. c. 23. (3) Grot. in proleg. ad Hist. Goth. pag. 22. & Olaus Rudbeckius in Atlant. ex Scandinavia, quam Jornandes de reb. Get. c. 4. *officinam gentium* & *velut vaginam nationum* appellat. (4) alii ex Latio, Gallia, & Pannonia eos produxere. (5) Vid. Leibnit. *de Originibus Gentium* t. 1. Miscel. Berolin. Cl. Ditmarum *de Germanorum origine Scythica*, Exercit. Francof. t. 2. & Bebelium *Quod Germani sint indigenae. Criesmanum parte germanorum*.

§. XX. Populosam semper fuisse Germaniam, & matrem nationum, tot effusa examina, coloniarum ac migrationes satis indicant, & nostra memoria exercitus frequentes, multitudinem incolarum ostenderunt.

(1) Causa non fuit polygamia, sed vegeta corporum constitutio, utet Venus fera & rara, a Cæsare lib. vi. de B. G. c. 21. Val. Max. lib. vi. 1. ext. 3. & Tacito de M. G. c. 19. laudata. (2) In hujus causas Bodin. lib. v. de Rep. c. 1. & in Method. histor. inquit. (3) Vide Warnefrid. de gestis Longob. l. 1. c. 1.

§. XXI. Habitus corporum, in tanto hominum numero, aliarum nationum conubiis infecto, non omnibus idem: magna tamen passim, & olim majora, corpora, stricti artus, lati humeri, firma latera, minax vultus, & major animi vigor.

(1) Cæsar

(1) Cæsar lib. i. de B. G. c. 39. *ingente magnitudine corporum Germanos*; Tacitus v. Hist. 18. *immensa corpora*; Mela l. iiii. c. 3. *immanes corporibus*; Claudian. in iv. Conf. Honorii *ingentes Cberuscos*. (2) Varro longitudinem septem pedum summum adolefcendi corporis humani dixit, apud Gellium l. 3. c. 10. at Sidonius carm. 12. *Burgundiones septipedes facit*; & Eginhardus Caroli M. staturam septem pedum, justam non excessisse scribit, in ejus vita c. 22. Hinc nugæ Anonymi de Nom. Germ. *Kärle est vir proceræ staturæ, & grandis corporis, qualem fuisse Carolum I. scribunt*. (3) Causas pristinæ illius, & multum diminutæ hodiè proceritatis, tradunt Turnebus *de vini usu & abusu*, in Thef. Gronov. t. ix. p. 530. & Conring. *de Habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi causis*.

§. XXII. Mores in diversis provinciis, natura cœli, cultura, vel consuetudine alios videas atque alios. In universum vero sunt simplices, aperti, recti, constantes, hospitales, temperantes in vestitu & victu, laboris patientissimi, servitutis & proditiōis ofores, nullisque mortalium fide cedunt.

(1) Hinc principes Frisiorum Romæ in theatro exclamabant apud Tacit. xiii. Ann. 54. *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse*. (2) Hinc nulla inter pacta nuda & contractus differentia, & permutationis eadem, quæ emtionis firmitas. (3) Ad odium in hostes pertinet illud Velleji l. 2. Hist. c. 18. *Germanos in summa feritate versutissimos, naturæ mendacis genus* (4) Propter fidem & staturam inter armi-

geros & corporis custodes Impp. Romanorum Sueton. Aug. c. 49. Tacit. xv. Ann. 58. (5) & Græcorum. Vid. Frene ad Annam Comn. p. 257. MACER. GERMANUS. CORPORE. CUSTOS apud Reines. cl. IX. n. 30.

§. XXIII. Immensam potus cupiditatem accusant veteres, & quasi necdum confesso vitio, recentiores: sed hujus culpæ partem in Septentrionalibus populis cœlum sustinet, sitire cogens, nec ulla in parte mundi ebrietas cessat.

(1) Taciti illud d. M. G. c. 23. *Adversus sitim non eadem temperantia. Si induleris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincuntur, cum castitate laudata & inopia vini non convenit.* (2) Potui illis cerevisia ex hordeo, ut aliis Occidentis populis. Ulpianus in l. 9. D. de Trit. vino & oleo: *Zythum in quibusdam provinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane conficitur.* ubi perperam Alciat. x. Parerg. 15. pro pane farre, Cujac. XI. Obs. 39. *panico* legit. (3) Uberiora pocula inter recentiores maligne accusat Stephanus in Apol. pro Herod. & Michael de Montaigne lib. 2. c. 2. *L'yvrognerie me semble un vice grossier & brutal. Aussi la plus grossiere nation de celles, qui sont aujourd'hui, c'est la seule, qui le tient en credit.* (4) Excusat Bodinus, lib. v. de Rep. c. 1. & Grotius Proleg. ad Hist. Goth. pag. 37. *aëris siccissimi natura, & calore, ob circumfusum frigus, in corpus penitus adacta.* (5) Horat. lib. III. Od. 21. *Narratur & prisca Cantonis Sæpe mero caluisse virtus.*

§. XXIV. Scythica lingua matrix est

Go-

Gothicæ, cujus pars aut propago Sue-
dica, Norwagica, Danica, Islandica,
Belgica & Frisica habetur. Theodisca
autem, quæ tempore Ludovici II.
per Rabanum Maurum & Otfridum
excoli cæpit, nunc cultissima est apud
Saxones, Silesios, aliosque.

(1) Celtæ omnes eadem lingua usi, ceterum
diversa dialecto, vid. Cæl. 1. de B. G. c. 47.

(2) Servius ad VII. Æneid. vers. 741. *lingua
Theodisca* meminit; de qua primus Gramma-
ticam scribere cœpit Carolus M. & mensibus
ventisque nomina imposuit, Eginhard. ej. vit.
c. 29. & Sigebert. ad A. 794.

(3) Perrexit Ot-
fridus; qui in præfat. Evang. apud Lambecium l. 2.
comm. Bibl. Vindob. pag. 423. *Hujus linguae bar-
baries, ut est inculta & indisciplinabilis, atque
insueta capi regulari fræno Grammaticæ artis, sic
etiam in multis dictis scriptu est, propter litterarum
aut congeriem aut incognitam sonoritatem, difficilis.*

(4) Cur Græci, Latini & Persæ tot vocabula
nobiscum habeant communia (5) Quare Ger-
mani durius omnia pronuncient? (6) Litteræ

Germanicæ non ante Friderici II. ævum. (7)

Diplomata Germanica non ante Rudolphum I.
(8) Julii Cæsaris & Neronis Augusti privilegia
Auftriacis Teutonico sermone data, conficta. Vid.
Lambec. lib. 2. Bibl. Cæl. c. 8. p. 9. 62. seq.

§. XXV. Quamvis ante Bonifacium
& Carolum M. armis plus dediti, quam
studiis, litteris tamen non caruerunt,
dum ethnici erant, & ante Carolum M.
ad

ad Christum conversi, litteraria ediderunt monumenta.

(1) Apud Tacitum de M. G. c. 19. *Litterarum secreta*, quæ viri pariter ac feminae ignorabant, sunt literæ secretæ amatoriaræ, (ut *occulta sensuum, strata viarum*) & nutus vultusque loquaces amantium. Romanorum. V. Tacit. II. Annal. cap. 63. 88. & IV. Ann. c. 3. (2) Cæsar lib. I. de B. G. c. 19. *In castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt, Græcis litteris confectæ*, id est elementis Græcis. (3) Monumenta antiquissima Danica, apud Olaus Wormium, & Codex Evangeliorum argenteus, Gothicis litteris exaratus.

§. XXVI. Scholas in Episcopatibus & Benedictinorum cœnobiis instituit Carolus M. Gymnasia & Academias, post concilium Constantiense, fundarunt tam frequentes, ut non multo plures numerentur in universa Europa.

(1) Osnabrugensis & Fuldensis Ecclesiæ litterarum matres. Vid. Miræ. Cod. donat. piar. pag. 48. Launoy *de Scholis celebr. a Carolo M. & post Carol. M. in occidente instauratis*. (2) Tempore Othonis I. Corbeja *Florentissima disciplina & Schola in Saxonia prima dicitur*, in Annal. Corbej. ad A. 967. (3) Friderici I. Authenticiæ *Habita C. ne filius pro patre libertatis suæ & privilegiorum originem debent Academiæ & Studiosi*. (4) Vestigium Promotionis Academicæ sine sec. x. in Gerberto, præceptore Ottonis III. quem *tribus Philosophiæ partibus laureatum* vocat, Epist. Gerb. n. 153. (5) Johannes Semeca, vulgo Teutonicus, sec. 13. *insignis juris Doctor*,
elogio

elogio Cranzii lib. 8. Saxon. c. 27.

§. XXVII. Postquam Carolus IV. Pragæ Bohemorum, mox Rupertus Palatinus Heidelbergæ Academiam condidit, eamque amplissimis dotata privilegiis aliæ secutæ sunt; quas inter Musæ Halenses, Lipsienses, Jenenses, Marpurgenses &c. eminent, velut inter stellas Luna minores.

(1) Prima Heidelbergensis a tribus Rupertis, ad exemplum Parisinæ fundata A. 1346. sed plenius instructa A. 1386. à Ruperto seniore, Comite Palatino Rheni; cujus diploma vide in Tolneri Cod. diplomat. Palat. n. 179. (2) Catalogus Academiæ Germ. apud Conring. de Antiquit. Acad. dissert. 1. pag. 47. (3) Jovius Elog. doctor. viror. fin. *Litteræ, ait, non Latine modo, sed Græcæ & Hebraicæ in Germanorum terras fatali commigratione transierunt.* Alstedius Encyclopæd. pag. 2764. de Erfordiensis: *Facet florentissima olim Academia, quam Lutherus, qui primam ibi lauream consecutus est, paradisum Germaniæ id ætatis fuisse testatur: in qua Eobanus Hessus mille & quingentos auditores habuit: quæ denique id fuit in Germania, quod Bononia in Italia, mater scilicet studiorum.* (4) de Societatibus litterariis, ut Societate frugifera, Academia Leopoldina, Collegio Imp. historico &c. (5) de bibliothecis vid. Struv. introd. in not. rei litt. c. 4.

§. XXVIII. Ingenii celeritas & discendi facilitas nunquam defuit Germanis, qui hodie omni litterarum gloria sunt floren-

46 C A P U T I.

rentissimi: sed acre iudicium & politum desiderant multi, quodque famam suam voluminum magnitudine & numero metiuntur.

(1) Scaligeri, Perronii, Bouhoursii & Perralti dubitatio, an Germanus esse queat *un bel esprit*, repressa a Cramero in *Vindiciis nominis Germ. contra quosdam obtrectatores Gallos*. (2) Scribendi cacoëthes taxat Barclajus Satyr. p. 4. c. 5. *Litteræ in multis locis cultæ inter homines minus sciendi avidos, quam docendi. Plura quam legerint scribunt.* &c. (3) Inter Theologos eminent Gøbelinus Persona, Zwinglius, Lutherus, Melanthon, Ursinus, Piscator, Coccejus. (4) Inter Jētos Zafius, Haloander, Wesenbecius, Carpzovius, Mevius, Ziglerus, Schilterus, Struvius, Lauterbachius, Strykius, (5) Inter Historicos Sleidanus, Lehmannus, Velferus, Brouwerus, Freherus, Tolnerus, Meibomii, Pufendorfius, Boeclerus, Schurtzfleischius, (6) Inter Poëtas Langius, Celtus, Furstenbergius, Morhofius, (7) Vide Adami Vitas German. Theol. Jētor. Polit. &c.

§. XXIX. Mathematicis & mechanicis artibus, imprimis ferri, æris, lannæque tractandi, & per mille artificia ducendi peritia, in tantum excellunt, ut ingeniosæ Germanorum manus proverbio celebrentur.

(1) Mathematici ad fastos corrigendos in Italianam; aurifabri, cuprarii aliique argutæ manus artifices ex Germania in Flandriam præmiis arcessiti. (2) Joh. Guttenbergius, Moguntinus, artis typographicæ, Berchtoldus Schwartz pulveris

63

ris pyrii, alii bombardarum, horologiorum & artis vitriariæ inventores. Vide Octavii Ferrarii proluf. 18. quæ est de Germaniæ laudibus. (3) Manuariæ artes Augustanorum, Noribergensium, Friburgensium, Ulmensium, &c. (4) Bodinus lib. v. de Rep. c. 1. in causam inquiri, & Meth. Hist. pag. 106. *A septentrionibus sunt ea, quæ mechanica dicuntur, belli tormenta, fusoriæ artes, typographia, quæque pertinent ad metallicam disciplinam, quam ita tractavit G. Agricola, homo Germanus, ut Aristoteles & Plinius in eo genere nihil intellexisse videantur: nec mirum videri debet, si Germanos & Britannos accire solent Itali & Hispani, quod cœlesti quodam munere occultas terræ venas invenire, & inventas aperire norunt. Illorum ingenium in manu positum esse, satis indicat omne genus supellectilis & instrumentorum, quæ ab illis tam artificiose, tam affabre fiunt, ut ea ceteri populi mirentur, imitari non possint.*

§. XXX. Commercia olim fœderis Hanseatici maxima totius Europæ: hodie mercatura florent Hamburgum, Lubeca, Brema, Francofurtum ad Mœnum & Viadrum, Lipsia, Numburgum, Brunsviga, Vienna, Norimberga, Nordlinga, aliæque.

(1) Ratisbona, Bardevicum & Magdeburgum, vici ob mercaturam in Capit. Caroli M. celebrati, apud Baluz. t. 1. Capit. pag. 431. (2) Otto M. A. 966. concessit licentiam *construendi mercatus in loco Bremen*, in diplom. apud Lindenbrog. & Maderum. (3) Fœderis Hanseatici origo, nomen, membra, privilegia, decremента, apud Werdenhagen de Rebusp. Hanseaticis, Leibnit.

Leibnit. Cod. diplom. (4) Causæ mercaturæ languentis, vectigalia, nummus improbius, &c. (5) De Nerviiis Cæsar lib. II. de B. G. c. 15. *Nullam aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini reliquarumque rerum, ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus elanguescere animos, eorumque remitti virtutem existiment.* De Suevis idem lib. IV. c. 2.

§. XXXI. Cives regni sunt vel immediati vel mediati, Status vel non Status, Imperantes vel parentes: hi ingenui, libertini, vel servi: Nobiles, Patricii vel ignobiles; originarii vel adscriptitii.

(1) Tacitus de M. G. c. 25. servitutem Germanicam a Romana diversam describit: *Servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur, suam quisque sedem, suos Penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit, & servus hæcenus paret. Cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum, ac vinculis & opere coercere rarum: occidere solent, non disciplina ac servitute, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune. Liberti non multum supra servos sunt.* (2) Auctus fervorum numerus Alemannis a Clodovæo, Saxonibus a Carolo M. Slavis ab Othonibus devictis. (3) Proprii homines recte servi vocantur in Pace Osnabr. art. v. §. 36. (4) Patriciorum origo à nobilibus, tempore Henrici Aucupis, in urbes se conferentibus. Vid. Martinum Cruf. p. 2. Annal. Suev. l. 3. c. 9. (5) Jus Wildfangiatus juri Albinagii Gallorum oppositum. (6) Cur Judæi Imperatoris Camerae servi

servi dicti apud Petrum de Vineis lib. VI. ep. 12.
 & vestitu a Christianis discreti, secundum c. 15.
 x. de Judæis.

§. XXXII. Status, vel Ordines Imperii (*Stände des Heil. Röm. Reichs*) a munere diverso dividuntur in Ecclesiasticos & seculares. Illi sunt Electores, Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Prælati, Abbatissæ & Magistri ordinum militarium sacrorum. Hi vero Electores, Archiduces, Duces, Comites Palatini, Landgravii, Marcgravii, Burggravii, Principes, Comites, Barones, & Civitates imperiales.

(1) Status a stando in comitiis (2) Eorum tres characteres: jus suffragii in comitiis, superioritas territorialis & obligatio ad onera Imperii. (3) An potentioribus *Suprematus*, id est independens potestas, cum Furstenerio; vel *Potentatus* cum Lynckero tribuendus? (4) Status an sint subditi imperii & Imperatoris, V. Grot. lib. I. c. 3. §. 21. 23. (5) de Majestate eorum anomala, Bodinus lib. 11. de Rep. c. 6. *Putabam ego quidem ante, inquit, Principes ac Civitates Imperiales habere jura Majestatis, nec alienis imperiis aut legibus, sed jure tantum foederis & societatis inter se obligari: sed ab hac sententia discessi cum propius animadverti, Germanorum conventus summum jus majestatis habere, nec tantum Principes, sed etiam Civitates, multa, proscriptione ac poenarum ac judiciorum acerbitate coerescere.*

E

§. XXXIII.

§. XXXIII. Electores (*Kuhrfürsten, Körvorsten*) sunt supremi Cancellariæ vel Aulæ officiales, & primi ordinis Status, lege constituti, ut Imperatorem eligant, & præcipuam cum eo regni curam gerant. Horum tres sunt Archiepiscopi: Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis: sex seculares, ut Bohemus, Bavarus, Saxo, Brandenburgicus, Palatinus & Hanoveranus.

(1) Cur & quando Moguntinus Archicancellarius per Germaniam; Trevirensis per Regnum Arelatense; & Coloniensis per Italiam, facti: (2) Bohemus Archipincerna; Bavarus Archidapifer; Saxo Archimarechallus; Brandenburgicus Archicamerarius; Palatinus Archithesaurarius; Hanoveranus (Archivexillifer) (3) His sui Vicarii, qui ministeria subeunt; ipsi præfecturam officiorum, honoris causa tenent. contra Bodinum, qui lib. 1. de Rep. c. 10. insulse scribit, Imperatorem *suos creatores, quasi servos domesticos*, alloqui. (4) In aulis Romanorum, Byzantinorum, Persarum & Francorum eadem Procerum officia; (5) In Germania non ante Carolum IV. provinciis innexa. (6) Kuhrfürst, (non Churfürst) à Kähren eligere, est Elector princeps, Wahlfürst. (7) Electoralis collegii jura, tituli, prærogativæ, unio & comitia. (8) Singulorum nomina, genealogia, terræ, eminentia, tituli, & insignia. Vid. Giovanni Germania princeps.

Ludwig
§. XXXIV:

§. XXXIV. Duces (*Hertzöge*, *Hertogen.*) sunt Status secundi ordinis, qui provinciam, Ducatus titulo insignem, nexu feudali ab Imperio recognitam, jure proprio possident: tales sunt Saxonici, Bavarici, Brunfuico-Luneburgenses, Wurtembergici, Meclenburgici & Holfatici, in diversas iterum lineas divisi.

(1) Duces, Taciti ævo, erant præfecti militiæ, ingruente bello lecti: de quibus c. 7. de M. G. *Duces exemplo potius, quam imperio, si prompti, si conspicui: si ante aciem agant, admiratione præfunt.* (2) Franci rectores provinciarum Duces vocabant, quorum bellicum nomen & munus. Glossæ Lat. Sax. *Dux Heretoga*, ab *Heer*, exercitus, & *zoge* ducebat. (3) Primum temporarii; tum perpetui; a Carolo M. fracti; mox renati; & sub Franconicis Imp. hereditarii. (4) Pithœi observatio lib. 1. adv. 8. quod singulis ducibus duodecim subfuerint comites, ab Alteserra rejecta, lib. 1. de Duc. & Com. c. 4. (5) Archiducum origo & dignitas.

§. XXXV. Comites palatii (*Pfaltzgraven*) Landgravii, Marcgravii, & Burggravii sunt Principes, olim officiiis, hodie solis dignitatum nominibus a Ducibus distincti, qui territorium sub ejusmodi nomine jure feudi possident.

(1) Error Freheri l. 9. *C. Th. de Re milit.* ad Comites Palatinos Rheni referentis. (2) *Marca* Cel-

tica lingua est limes regni. Marchio *Præfectus limitaneus*, l. 8. C. de Div. off. *Custos limitum* in Annal. Franc. vocatur. (3) Error Alciati lib. 1. Parerg. c. 27. reprehensus. (4) Olim Comes palatii in aula Regis, Landgravius in provincia, Marchio in regni limitibus, Burggravius in castro juri dicundo præerat. (5) De hodiernis Comitibus Palatinis, Hassiæ Landgraviis, Marchionibus Brandenburgicis & Badensibus plura.

§. XXXVI. Principes, (*Fürsten*) in specie ita dicti, sunt, qui terras suas cum dignitate principali, sine officio regni, tenent. Horum alii sunt antiqui, alii recentes.

(1) Apud Tacit. de M. G. c. xi. *Principes*, de minoribus rebus consultantes, sunt Optimates, sive Senatores, ut lib. v. Hist. 19. (2) Hodierni *Fürsten* per syncopen à *furdersten* primi, sicut Anglis *first* primus. (3) Antiquiores sunt Anhaltini. (4) Recentiores Hohenzollerani, Nassovii, Lobkowitzii, Salmenses, Dieterichsteineses, Auersbergii, Fürstenbergii, Schwartzenbergii, Frisiæ orientalis, Lichtensteineses, &c. Vide Imhoff in Notitia Procerum imperii, & judicium Monzamb. c. 2. §. 9.

§. XXXVII. Comites, seu *Graviones*, sunt, qui territorium aliquod Regni, sub nomine Comitatus, cum dignitate principali proxima, feudi vel allodii jure possident.

(1) Tacitus de M. G. c. 12. *Eliguntur in conciliis & principes, qui jura per pagos vicisque reddunt. Septem singulis ex plebe comites, con-*
confi-

consilium simul & auctoritas adsunt. ubi comites notant Scabinos. (2) Romanis Comes erat iudex, e comitatu Principis in provinciam missus; vel Præsidis comes. v. l. 3. *C. de Off. rect. prov.* Spartian. in Hadriano c. 18. *Cum iudicaret in consilio habuit, non amicos suos, & comites solum, sed Fetos.* (3) Franci Graviones à canitie *Graw* vocarunt; non a *gravis*, γράω, γράφω, aut *graven*, eruendis causarum meritis; nec ab aureo Regis graphiario, ipsis credito. *Dictionary Lat. Sax. Comes, Ealdorman.* *Diaconus lib. v. de Gestis Langob. c. 36. cum comite Bojoariorum, quem illi Gravionem dicunt.* Vid. *Coleri Parerg. c. 27.* (4) An *Grietmanni Frisiorum*, quasi *Griesmanni*?

§. XXXVIII. *Barones, Frey-Herren,* sunt dynastæ, qui territorium, titulo baroniæ ornatum, tenent; a jurisdictione comitum exempti, iisque tantum non æquales.

(1) Baronis nomen non honestissimum fuit Romanis antiquis. vid. *Cicer. ix. Epist. 21. Perf. Sat. 5. §. 138. Alciat. v. Parerg. c. 16. & Rutgers. Venus. lect. c. 23.* (2) *Augustino* quendam e proceribus notat, *serm. 68. Dic ubi Imperatores & Reges, ubi Principes & Barones?* (3) Proprie Germanis notat marem, virum, hominem gravem & idoneum; nec ab Hebræorum *bar*, aut à βάρος pondus, aut Germanorum *Bahrn* filius descendit. (4) *Hert. de Hom. propr. Sect. iv. §. 13. Liquido intelligere possumus, originem Ordinis Baronum: quandoquidem Nobiles illi, qui nulli se domino mancipabant, liberi audiebant. Hinc factum, cum Baronum nomine olim filii Nobilium sive Patritii, postea vero Optimates omnes*

insignirentur, Principes autem & Comites suis ex functione propriis splenderent titulis, ut Baronis titulus apud liberos; Nobilis vero titulus, qui olim generalis quoque erat, apud Ministeriales tantum resideret.

§. XXXIX. Nobiles immediati, in Suevia, Franconia & terra Rhenana, Imperio sine intermedio Domino sunt subjecti, & in ditionibus, pagis & oppidis suis multa regalia exercent; non autem sunt Status Imperii: quidam eorum vicinis Principibus subsunt; alii status controversiam patiuntur.

(1) Nobilium magna apud Francos & Germanos existimatio. (1) Adelingi, Edle, ab *Odel, adbel*, antiquum, avitum: quia gentilitia dignitas, ob belli facinora iis tributa. (2) Origo nobilitatis immediatæ ab interitu Franconiæ & Sueviæ Ducum. (4) Non sunt Status Imperii, sive ut singuli, sive ut corpus considerentur. (5) Hinc Civitates immediatæ præcedunt Nobiles immediatos. (6) De origine Societatis Equestris clypei S. Georgii vide Datté de Pace publ. lib. II. c. 3. *seqq.* (7) Adde Burgermeister Bibliothecam Equestrem.

§. XL. Omnes Nobiles *superiores*, ut Duces, Principes, Comites, & *inferiores*, ut nobiles & Equites, sunt Vassalli Imperii, mediati vel immediati, eoque nomine Imperio, peculiari nexu fidelitatis, ad auxilium militare obligantur.

(1) Feodum, voce composita ex *feida*, vel *fee*, stipendium, militia, & *ode* bonum; est fundus militaris. (2) Incunabula feudorum in coloniis Romanorum & beneficiis militum, apud Lamprid. in Alex. Severo c. 58. *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, si etiam rura sua defenderent.* (3) Similiter Julianus Francis Saliis dedit *ut quæta septuaginta*, prædia militaria, & terras Salicas liberas, sub lege militiæ, auctore Libanio orat. fun. in mortem Juliani; juncto Ammiano Marcellino lib. XVII. cap. 18. & Zosimo lib. III. c. 8. (4) Primi feudi in Gallia exemplum apud Aimoinum lib. I. cap. 14. *Milidunum castrum Aureliano, cum totius ducatu regionis, jure beneficii Clodoveus concessit.* (5) Apud Germanos de Tassilone Annales Laurisheim. ad Ann. 757. *Tassilo, Dux Bojoariorum, cum primoribus gentis suæ Compendium venit, & more Francico in manus Regis invassati cum manibus suis semetipsum commendavit.* (6) Recte Grotius lib. I. de J. B. & P. c. 3. §. 22. *Nexus feudalis proprius est Germanicarum gentium, nec usquam invenitur, nisi ubi Germani sedes posuerunt.*

§. XLI. Vassallorum mediatorum alii sunt Comites, Barones, Equites vel Nobiles Landsassii, qui Statibus Imperii immediatis, sunt subjecti; sed multis immunitatibus & privilegiis, in

Canonicatibus, Comitibus Provincialibus,

bus, jurisdictione patrimoniali aliisque
regalibus minoribus fruuntur.

(1) Cur Nobilitas illibata alibi per quatuor, alibi per octo, alibi per sedecim gradus, vulgo *Abnen*, id est majores, sit probanda. Barclaj. Satyr. p. iv. cap. 5. *Nobilitati magna & supersticiosa sui generis cura est; & maculari veterum sanguinem putant, si ad novam imparemve familiam matrimonii consortio accesserit: nec in multas stirpes hæc nota eluitur.* (2) Ceremoniæ Equites creandi vestigia jam apud priscos. Tacitus de M. G. c. 13. *Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum prabaverit. Tum in ipso Concilio, vel Principum aliquis, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juvenæ honos.* (3) Ritus recentiores Auratos Equites creandi, cum aurato ense & auratis calcearibus, vid. apud Burgundum lib. 1. Hist. Bav. fin. (4) Ratio, cur nobilitas ad sobolem transfundatur, est, quia fortes fortibus creari præsumitur, & quia *Hoc generi hominum prope a natura datum, ut qua in familia laus aliqua floruerit, hanc fere, qui sunt ejus stirpis, cupidissime persequantur,* ait Cicero Cicero pro Rabir. princ. (5) Cur nobiles hic magis. quam alibi, urbes fugiant & commercia. (6) An a matre nobilitas? Vide Cl. Gundlingii disputat. *An nobilitet venter?*

S E C T I O IV.

De Statu Ecclesiastico.

§. XLII. Religionis Christianæ lumen jam seculo secundo in Germaniam Cisrhenanam; serius in Transrhenanam & paullatim, inde usque à seculo quarto, allatum est: donec seculo octavo, cura Bonifacii AEp. Moguntini, & mox Caroli M. zelo, tota ad cultum cœlestem perduceretur.

(1) Deastri eorum universales: Sunna, Manna, Tuisto, Wodan, Thorons, Frea, Satar: unde nomina dierum. (2) Dii Topici Crodon, Irmensula, Tanfana, Herthus; quos Cæsar, Tacitus aliique suorum Deorum nominibus indicant. (3) Tacitus d. M. G. c. 9. *Ceterum nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem adsimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia videtur.* (4) Quid de Crescentio & Materno habendum, apud Gasp. Bruschiu de German. Episcop. (5) Quanam fuerint Ecclesiæ, in Germania fundatæ, tempore Irenæi lib. I. c. 3. & Christi regnum, in Germaniam porrectum, apud Tertullian. adv. Jud. I. (6) Kilianus, Egbertus, Suidbertus, Willebrordus, Ansgarius & Liudgerus verbi divini præcones; (7) inprimis Winfridus, natione Anglus, ob virtutem Bonifacius dictus, qui, teste Adamo Bre.

Bremenſe, omnes alios, ut Paulus Apoſtolus, ſtudio & labore prædicationis antevertit: ideoque Germaniæ Apoſtolus dictus.

§. XLIII. Sub Carolo V. duæ familiæ Catholicorum & Proteſtantium, occasione Indulgentiarum, & Gravaminum nationis Germanicæ, ſunt enatæ; his vero rurfus in partes Lutheranorum & Reformatorum ſciſſis, tres hodie Religiones dominantur.

(1) Cepit reformatio Wittebergæ A. 1521. (2) Nomen Proteſtantium A. 1529. (3) Hos de cœna Domini & Prædeſtinatione diſputantes ſeparavit Confeſſio Auguſtana A. 1530. (4) diviſit Formula Concordiæ A. 1580. (5) Unio Evangelicorum & Liga Pontificiorum A. 1612. bellum peperit Bohemicum & Tricennale, lernas malorum. (6) Duæ religiones Pace religioſa A. 1555. tres Pace Oſnabrugeniſi Art. V. A. 1648. approbatæ. (7) Vid. Sleidanus de ſtatu Religionis, Seckendorf Hiſtoria Lutheraniſmi, Lehmanni Acta pacis religioſæ, Obrechtii diſſ. de Reſervato Eccleſiaſtico. (8) An cauſa reformationis ex cœlo ejus temporis; & aſtris, cum Paulo Jovio lib. 13. Hiſt. an vero ex genio Germanorum inconfante, cum Bodino lib. v. de Rep. c. 1. an aliunde fit reperenda?

§. XLIV. In terris Principum Pontificiorum rem Eccleſiaſticam gubernant Archiepiſcopi, Epifcopi, Abbates & Prælati: quorum illi ſimul Principis, hi Comitum perſonam, inter Status

tus Imperii gerunt, & a Pontifice Romano in Ecclesiasticis, ab Imperatore in secularibus confirmantur.

(1) Cur tot Episcopatus a Carolo M. Othone M. aliisque sint fundati, dotati, & regalibus nimis, quin ducatibus & comitatibus ornati.

(2) An lege divina persona secularis cum Ecclesiastica sociari queat. (3) Investituram Episcoporum per anulum & baculum, cum annexis juribus, summo Reip. malo, Henrico V. Calixtus extorsit, A. 1122. Plus tamen Imperatori superesse, quam vulgo traditur, ex Concordato ipso apparet, apud Libnit. Prodr. Cod. Diplom. p. 2. Otto Frising. lib. VII. Chron. c. 16.

Ex hinc ecclesia, libertati ad plenum restituta, in magnum montem crevisse sub Calixto invenitur. (4) Schisma inter regnum & sacerdotium. (5) Paschalis apud Dodechenum ad A. 1110. *In Alemannia partibus Episcopi & Abbates adeo curis secularibus occupantur, ut comitatus assidue frequentare, & militiam exercere legantur, que munera aut vix aut nullo modo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibentur. Ministri vero altaris ministri curie facti sunt: quia Civitates, Ducatus, Marchionatus, monetas, turres & cetera, ad regni servitium pertinentia, a regibus acceperunt.*

§. XLV. Archiepiscopi sunt Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Salisburgensis & Vefontinus. His olim accedebant Magdeburgensis, Bremensis & Rigensis, quorum priores seculo sunt addicti, posterior est exemptus.

(1) Tres

(1) Tres Archiepiscopi Electores Metropolitani & Primates. Vid. Petri de Marca Dissert. de Primatibus n. 75. seqq. (2) Moguntia olim metropolis Germaniæ civilis, A. 751. etiam Ecclesiastica facta. V. Pagi crit. ad Baron. Annal. ad A. 751. n. 8. (3) Otho M. totius Germaniæ archicancellariatum addidit. V. Spener. Op. Herald. 1. 1. c. 64. §. 17. (4) Tempore interregni, Moguntinus *Electorum Principum Decanus* factus, Freher. t. 1. p. 427. (5) Summa ejus auctoritas in Comitibus, in Cancellaria Imperii & Camera. (6) Trevirensis & Coloniensis Archicancellariatus sine re. (7) Salisburgensis Legatus natus a Pontifice salutatur. (8) Magdeburgensis, Othonis beneficio, olim Primas Germaniæ transrhenanæ; V. Ludewig de Primatu Germ. c. 2. §. 7. (9) de Pallio Archiepiscopali vid. Rulnarti dissert. Hist. in Mabillonis Ouvrages posthumes.

§. XLVI. Episcopi Status Imperii sunt: Bambergensis, Wurtzburgensis, Wormatiensis, Aichstedensis, Spirensis, Constantiensis, Argentinensis, Augustanus, Hildesiensis, Paderbornensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Leodiensis, Passaviensis, Tridentinus, Brixiensis, Basileensis, Monasteriensis, Curiensis, Osnabrugensis & Lubecensis.

(1) Helmoldus lib. 1. c. 4. *Qui propter animarum regimen principes sunt coeli, ipsi Impp. eosdem fecerunt principes regni.* v. gr. Herbipolensis Dux est Franconiæ, Argentinensis Landgravius

gravius Alfatiae, Leodiensis Dux Bullionensis & comes in Cambresi. (2) Hinc Episcopi Germani aliorum regnorum Archiepiscopis *possidiam* haud concedunt. V. Hist. Concil. Trid. 1. 2. p. 129. (3) Episcoporum regimen simile Hierarchiae Papali. (4) Electi olim à populo & clero; hodie à Canonicis. (5) Antequam a Papa confirmentur, jurejurando fidelitatis ei sese obstringunt, cujus formula est apud Alb. Stadenf. ad A. 1179. (6) Concordata inter Nationem Germ. & Nicolaum V. A. 1448. apud Leibnit. C. diplom. n. 158. §. 3. pag. 398. *Si electiones Canonicae fuerint, Papa eas confirmet; nisi ex causa rationabili & evidente, & de fratrum consilio de digniore & meliore persona duxerit providendum.*

§. XLVII. In terris Protestantium ipsi Status, tam Seculares quam Ecclesiastici, jus circa sacra exercent, non qua Episcopi, sed vi superioritatis territorialis, legibus Imperii circumscriptae.

(1) Origo hujus juris ex observantia, *jure territorii & superioritatis, ex communi per totum Imperium usitata praxi*, Inst. Pac. art. 5. §. 30. (2) de brocardico: *Cujus est regio, ejus est religio.* (3) Juris circa sacra partes & limites. (4) de Simultaneo, Anno critico 1624. articulo IV. Pacis Ryswicensis & repressaliis. (5) De controversiis in Palatinatu exortis: (6) De Pontificis auctoritate, propter abusum submota, Leibnit. de suprematu Princ. c. 31. & praefat. Cod. diplomat. *Fatendum est profuisse interdum Pontificum Romanorum curam pro canonibus & Christiana disciplina, dum illi opportune & importune instan-*

instantes, sive auctoritate muneris, sive metu censurarum Ecclesiasticarum, multis malis obicem ponebant -- sed ut in corruptionem proclives sunt res humane, etiam optime, nimis coepere Pontifices simbrias extendere & potestate uti licentius.

§. XLVIII. Imperator, velut Advocatus Ecclesiæ & primus Princeps orbis Christiani, olim ipsos Episcopos Romanos confirmavit, vel removit, in Cruciatu exercitum duxit, atque indixit Concilia universalia: hodie exercet jus primariarum precum, & per amicam transactionem, in causis religionis, una cum Statibus, decernit.

(1) In Aurea Bulla, Rec. Imp. & diplomati-
bus sæpe Imperator *Temporale caput populi Chri-
stiani; Caput & defensor orbis Christiani; supre-
mus Advocatus Ecclesiæ, vel S. Petri, & Cathedræ
Romane* vocatur. (2) Hinc Imperium *sacrum*
vocatur, & *Sacræ Majestatis* nomen Cæsari ita
proprium est, ut Gallo Christianissimæ. (3)
Quid sit jus primariarum precum, Annatarum
& Regaliarum. (4) Auctoritatis Imperatoriæ,
in dispensationibus matrimonialibus exempla apud
Leibnit. C. diplom. n. 82. 83. Goldast. tom. 1.
Const. Imp. ad A. 1343. & Freher. t. 1. Script.
p. 621. (5) Adagium tritum apud Guicciardi-
num: *Proprium Ecclesiæ esse, Cæsares timere &
odisse.* (6) Vid. Schilt. de Libertate Eccles.
Germ. & Dissert. de Jure Imp. circa elect. Pon-
tif. Rom.

§. XLIX. Peregrinationes in terram
sanctam, & expeditiones cruciatæ ad-
versus

versus Mahumedanos, peperunt Ordines Equitum Johannitarum & Teutonorum, quorum Magistri, inter Satus Imperii, votum & sessionem in comitiis habent.

(1) Johannitarum seu Hospitalariorum summus Magister, per Germaniam, Heidersheimii sedem habet, & supremum Melitensem Magistrum agnoscit (2) Magistri Equitum Teutonorum sedes Mergenthemii in Franconia, olim Mariæburgi in Borussia. Confer Schurtzfleisch de rebus Prussorum, disp. 27. §. 20. (3) Magister ordinis Ensisiferorum quondam similiter in comitiis comparuit. Vid. Schurtzfleisch de ordine Ensisiferorum disp. 22. (4) Expeditionum cruciatarum nomen, occasio, pretextus, injustitia, superstitio, imprudentia, numerus & infelix eventus, ex Wilhelmo Tyrio lib. I. c. 15. seqq. Auberto Miræo, in fastis Belg. fol. 422. Conring. epist. 53. Maimbourg. des Croisades. (5) Tacitus lib. XIV. Annal. c. 31. *Templum divo Claudio (divæ Mariæ) constitutum, quasi arx æternæ dominationis conspiciebatur; dilectique Reges & sacerdotes specie religionis omnes fortunas effundebant.* (6) Quomodo Pius II. Fridericum Imp. Ducem generalem Exercitus Christiani contra Turcas declaraverit, ex debito Officii Imperialis, vid. apud Leibnit. Cod. diplom. n. 180. Conringius ad Lampad, p. 242. *Quantumvis interea temporis quam plurima fortissime etiam gesta sint, queque æternam zeli pariter ac animositatis mereantur gloriam; si tamen quod res est, fateri licet, non possunt non expeditiones illæ omnes summæ ejus ævi Regum Principumque & imprudentiæ & injustitiæ & superstitionis jure merito notari*

De administratione summi imperii.

§. L. Quia multæ Respp. nexu subjectionis, feudali & sociali colligatæ, unum Germaniæ corpus civile constituunt, hinc jura majestatis circa secularia sunt vel Imperialia, vel Territorialia: illorum alia solus Imperator exercet, alia cum Electoribus, pleraque cum Statibus Imperii, in consortium summæ potestatis admittis.

(1) *Imperialia* sunt, quæ ad salutem totius Imperii pertinent, & quorum effectus per totam Germaniam se extendit. (2) Quæ solus Imperator potest, vulgo *Reservata*, vel *Relicta* appellantur, in quibus definiendis, alii sunt nimis largi, alii nimis parci. (3) Quæ Cæsari & Electoribus competunt *Cæsareo-Electoralia* in jure publico audiunt. (4) Cetera *Cæsareo-Comitialia*: de quibus in Instrum. pacis art. VIII. §. 2. *Gaudeant Status sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, deletus aut hospitaliones militum instituenta, nova munimenta, intra Statuum ditiones, extruenda nomine publico, veterave firmanda præsidis, nec non ubi pax aut fœdera facienda, aliave hujusmodi negotia peragenda fuerint.*

§. LI.

§. LI. In Comitibus Imperator de legibus, bello, pace, ceterisque negotiis, ad totum Imperium pertinentibus, una cum tribus Electorum, Principum & Civitatum collegiis decernit: sic tamen, ut potiores ejus sint partes, ejusque auspiciis omnia agantur.

(1) Tacitus de M. G. c. XI. *De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes praeferantur.*

(2) Conventus imperii praeis temporibus tri-
dium, vel mensis, nunc perpetui, ex A.
1662. quia profus, ac Taciti ævo, illud ex li-
bertate vitium, quod non simul, nec iusti conve-
niunt, sed & alter & tertius dies cunctatione
cœventium absuntur.

(3) Olim ipse Imperator & Status convenire, nunc per Legatos.

(4) Quomodo vota colligantur, & conclusum
formetur? (5) Quæ causa sit tardorum mo-
liminum; vide Monzamb. c. v. §. 2. 24. seqq.

(6) Grotius lib. II. Hist. Belg. ad A. 1590.

Germani conventum indixere, ubi longa cunctatione, ut mos gentis est, consilia trahendo, interdum & remedia magis, quam mala differebant. Idem Epist. IIII3. Cunctatio Germaniam perdidit, occasionum celeritate non expectante gentis tarditatem.

§. LII. Leges imperii fundamentales, per conventionem inter Imperatorem & Status latæ, sunt vel scriptæ; ut *Recessus imperii, Aurea Bulla, Pax*
F publi-

publica, Pax religiosa, Pax Westphalica & Capitulationes: vel non scriptæ, quæ Observantia imperialis vocantur.

(1) Episcopi Germaniæ apud Radevic. lib. 1. c. 16. *Duo sunt, quibus nostrum regi oportet Imperium; leges sanctæ Imperatorum & usus bonus Prædecessorum & Patrum nostrorum. Istos limites præterire nec volumus, nec possumus: quicquid ab his discordat, non recipimus.* (2) Recessuum Imperii nomen, origo, materia, publicatio, & hodierna conditio vid. apud Auctorem *der Grundveste*. (3) Auræ bullæ auctor, occasio, idioma, mutatio. (4) Constitutionem Pacis publicæ A. 1495. optime Dattius descripsit: Acta Pacis religiosæ A. 1555. Lehmannus collegit. (5) Goldasti Collectio consuetudinum & legum Imperialium. Kulpfius de Observantia Imp.

§. LIII. In causis civium privatis, etiam Principum, quatenus privatam gerunt personam, receptum est jus Civile Romanum, Canonicum, & Feudale Longobardicum; sed in subsidium, ubi leges domesticæ universales, vel provinciales, statuta & consuetudines silent.

(1) Tacitus de M. G. c. 19. *Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.* (2) Exiguus usus legum antiquarum, quas Heroldus, Lindenbrogius, Baluzius & Eccardus collegerunt. (3) Earum vestigia in regionibus septentrionalibus, teste Cluverio de G. A. lib. 1. pag. 187. Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. 8.

§. 1.

§. I. *Jus gentium improprie dictum introductum videmus, ex quo Germanica nationes Europam ferme omnem invaserunt. Sicut enim olim jura Græca, ita tunc Germanica instituta passim recepta sunt, & nunc etiam vigent.* (4) *Jus representationis duelli judicio ab Othone I. introductum, quod noluit viros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, auctore Witichindo lib. II. pag. 644.* (5) *De Speculo Saxonico & Suevico.* (6) *Jus Lubecense secundum jura Soffatiae compositum, auspiciis Henrici Leonis; Arnold. Lubecens. lib. II. Chron. Slav. c. 35.* (7) *Jus Canonicum citius innotuit, quam ejus collectio, prius etiam, quam jus civile, fuit receptum.* (8) *An prudenter & quo usque vide Conring. de Orig. jur. Germ. Sinceri dissert. Epistol. de usu & auct. legum Germ. Hofman. Specim. conject. polit. de Orig. & natura legum Germ.*

§. LIV. *Judicia Imperii summa & universalia sunt Judicium Aulicum & Camerale, ac certa ratione Comitum. Particularia vero judicium Austregarum, Rothweilense, & olim Westphalica.*

(1) *Judicii Aulici origo à judicio S. Palatii. Cameram instituit Maximilianus I.* (2) *Utriusque Præsides, Assessores, causæ & remedia suspensiva.* (3) *Ultima ad utrumque est provocatio, nisi obstet privilegium de non appellando, quod vel limitatum est, vel illimitatum. Vid. Grot. lib. 2. c. 4. §. 13.* (4) *Cur in tam laxa Imperii compage, ad exemplum Galliae, Tribunalium numerus non augeatur?* (5) *Quis judex sit Principis delinquentis, si banno*

notandus, vid. Capit. Car. vi. art. 20. (6) Quis iudicet in causa matrimoniali Principis Protestantis? (7) In criminalibus prudenter appellatio exclusa; quia appellato principe odium criminis per moram refrigescit. v. Tacit. xvi. Ann. 8.

§. LV. *Judicia Westphalica adversus ethnicam idololatriam instituta, ob ordinem occultum & atrocitatem sententiarum seculo quarto, quinto & sexto decimo invisa, emendata, tandemque propter abusum sublata fuerunt.*

(1) Westphalica dicuntur, quia civitas Tremoniensis originaria eorum sedes. (2) per totam vero Germaniam, imo & Borussia & terras Trajectinas extensa. v. Mathei Analect. Tom. 5. & lib. 1. de jure gladii c. 30.

(3) Alias *vehmica, vemeding, vetita, a wetten, punire*, apud Æneam Sylv. de statu Europæ.

(4) An à Carolo M. sint instituta, Dattius optime discussit, de P. P. lib. iv. c. 2.

(5) Comparentur cum iudicio Zeli apud Hebræos Deut. XIII. v. 9. ibique Cl. Clericum, & ad Num. xxv. 7.

§. LVI. *Ad antiquitates judiciorum Germanicorum pertinet, quod nulli in iis Advocati; Sacerdotes puniebant; Comes gladium, Scabini baculum in manibus tenebant; testes per aures tracti; iudicium aquæ ferventis & frigidæ receptum; statua Rolandi-
næ, in signum fori criminalis, erectæ;
quæ-*

quæstiones usitatæ; fures laqueo puniti; homicidia non capitalia; pœna Nobilium portatio canis.

(1) Florus lib. IV. c. 12. *Nihil insultatione barbarorum intolerantius; præcipue tamen in causarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera, sibilare desiste.* (2) Tacitus de M. G. c. 7. *Neque animadvertere, neque vincere, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum: Non quasi in pœnam, nec ducis jussu, sed velut Deo imperante.* (3) De plerisque confer Conring, de *Judiciis Reip. Germ.* & Frid. Brummeri dissertat. de *Scabimis.* (4) Statuæ Rolandinæ, non à Rolando Turpini fabuloso, sed a *Rüge & Lant* dictæ, vid. *Rhet. de Statuis Rolandinis.* (5) Tortura per trochileam Francis usitata, auctore Gregorio Turonense lib. VII. c. 32. Apud Leibnitium Tom. III. script. rer. Brunsvic. pag. 371 quæstio de *Onvernunft* vocatur. (6) De laqueo, pœna furum, Turonensis lib. VI. Hist. c. 8. Lex antiqua Saxonum c. 4. *Qui caballum furaverit, capite puniatur.* (7) *Canaille à cane.* Gunthier. lib. v. §. 206. *Decem Comites totidemque coacti, Fœda tulere canes generoso pondera collo.*

§. LVII. Quoniam gens tota admilitiam nata, & potentiam bellicam pro scopo sibi habuit, hinc ritus graves & militares: per arma jurabant, adoptabant, emancipabant, manumittebant, ferebant suffragia, creabant duces, ar-

mis etiam decidebant lites, quod ratione fieri debebat.

(1) Cæsar lib. 1. de B. G. c. 36. *Invicti Germani, exercitatissimi in armis.* Seneca 1. de ira c. 11. *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque: quorum unica illis cura est, in alia negligentibus.* Claudian. lib. 11. de Laud. Stilic. *Qui mihi Germanos solus Francosque subegit, Cur nondum legitur Fastis?* (2) De adoptione per arma Pithoe. 1. subf. c. 1. & Coler. *παράρ.* c. 7. (3) De duellis & diffidationibus, publicis etiam legibus descriptis, vid. Cangius in *duellum* & Datte de P. P. 1. 1. c. 15. (4) *Causa barbari moris apud Nicolaum de Cusa, Cardinalem, de Conc. Cathol. III. 31. Et hæc omnia ideo: quia leges & canones perdiderunt vigorem, & custodes & executores & pastores nulli sunt.* (5) Excusat Grotius proleg. Hist. Gothorum pag. 67. *Coguntur legum conditores multa non probanda concedere, & venenum sæpe veneno expellere; minus certe malum erat, duorum periculo rem decertari, præsertim postquam ambo moniti essent serio, ne contra conscientiam sumtis armis Deum sibi inimicum accerferent, quam totas familias, quod alioqui fiebat, committi inter se, & bellum velut civile excitari. Abstulit hunc morem Christiana Religio, &c.*

§. LVIII. Rem militarem primus ordinavit Henricus Auceps, equite & mercenario milite instituto, ac exercitiis formato; vera autem mercenaria, eaque sumtuosior militia Sigismundo

do Cæsari & Maximiliano I. debetur.

(1) Olim vis omnis in peditatu. Tacitus de M. G. c. 6. *In universum æstimanti plus penes peditem roboris, eoque mixte præliantur.* (2)

Dimacharum, Dragoner, antiquus usus. Cæsar de B. G. lib. iv. c. 2. *Equestribus præliis sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur.*

(3) Torneamenta inventum Gallorum sec. xi. vid. du Frene ad Joinvillam, diff. 6. *de l'origine & de l'usage des Tournois.* (4) Exercitia

alia Henrici, de quibus Witichindus lib. i. pag. 641. *In exercitiis ludi tanta eminentia superavit omnes, ut terrorem ceteris ostentaret.* (5)

Heergewettæ initia apud Tacitum de M. G. c. 32. sed plenior ejus usus, ex lege Henrici, auctore Gobelino Persona, in Cosmodromio æt.

vi. c. 46. (6) Per Sigismundi militem a raptu & furtis, sub signa merere coactum, bellicæ rationi & solertiæ, sed non satis virtuti consultum, ait Browerus lib. 18. *Annal. Trev. ad*

Ann. 1385. (7) Soldatæ a *Sold*, solduriis, vel à solido nummo.

§. LIX. Exercitus cc. millium non multo negotio conscribi potest, si necessitas id exigit; sed ex comitali lege de A. MCCCII. miles perpetuus, pacis tempore 40000. belli vero 120000. per Circulos est alendus. Plerique corpore sunt duro, incessu gravi, cunctando vincere sciunt; verum in campo, quam in obsidionibus meliores.

(1) De numero minor dubitatio, si vere Lipsius cent. III. misc. ep. 27. *Unus Fuldensis Abbas 60. millia bellatorum Imperatori præbe-*

bat in hostem, Alberti fide: sed, malim 6. millia.
 (2) Verius apud eundem Rudolphus Austria-
 cus jactat: *Se in qualibet mundi parte, cum ele-*
ctis quatuor galeatorum, & quadraginta peditum
armatorum de Allemannia millibus, stare invi-
ctum: estimans hos omnem multitudinem aggress-
uros. (3) Mos veterum Germanorum uxores
 & liberos in castris habendi, apud Tacitum de
 M. G. c. 7. & 8. olim memoratus, & adhuc
 durans, an laudandus, cum Conringio de an-
 tiqu. rei vet. Germ. §. 32. an vituperandus, cum
 Lipsio lib. v. de Milit. Rom. Dial. 18.

§. LX. Jus decernendi bellum offen-
 sivum & universale Imperatori & Sta-
 tibus competit, qui, numero militum
 in comitiis definito, dilectus per cir-
 culos instituunt, & communi consen-
 su pacem pangunt.

(1) Jus belli defensivi & particularis socialis
 Imperatori soli & singulis Statibus competit, sine
 Caesaris consensu, modo nihil periculi Imperio
 inde nascatur. (2) An Status adversus Impe-
 ratorem bellum Smalcaldicum & tricennale,
 jure suscipere potuerint, v. Grot. 1. c. 4. §. 13.
 (3) Libertatem Statuum, exteris militandi, &
 manus militum adducendi, ne virtus militaris
 hebescat, *major prudentia, quam justitia decre-*
tam esse, ait Thuan. lib. 61. Hist. vid. Grot. 1.
 2. c. 25. §. 9. (4) Tacitus de M. G. c. 14.
Si civitas, in qua orti sunt, longa pace & otio
torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt
ultra eas nationes, que tum bellum aliquod ge-
runt; Quia & ingrata genti quies, & facilius
inter ancipitia inclarescunt. (5) Ob languentem
 quorundam circulatorum politiam, Lipsius cent.

3. ad Belgas ep. 72. *In comitiis Germanicis haud magna mihi spes est, toties vidimus conventus istos, & decreta auxilia: Sed omnia deinde glacie tenui fragiliora, & quibus prudens non insistat.*

§. LXI. Ad pacem Imperii nomine componendam, jure suo adlegandi Status usi sunt, in Pacificatione Westphalica & Rysvicensi; at Neomagensem & Rastadiensem solus Imperator pepigit, rati habitio Statuum secuta est.

(1) Historiam Pacis Westphalicae exposuit Pfannerus & Pufendorf de Reb. Suec. lib. 19. & 20. (2) De ea & ceteris vid. Gallicas collectiones *Actes & memoires de la Paix* &c. In Procem. Pacis Westphalicae & Rysvic. *Præsentibus, suffragantibus & consentientibus S. R. I. Electoribus, Principibus ac Statibus.* (3) Dn. Ludewig de jure adlegandi, & Meuschen de concursu statuum circa negotium pacis.

§. LXII. Jus mittendi & recipiendi Legatos, & Fœdera nomine Imperii faciendi, ad Comitiam spectat; plerumque vero solus Imperator Legatos mittit, missosque recipit: suarum etiam terrarum causa, & Imperator & singuli Status jus legationum & fœderum habent.

(1) Jus legationis Statuum ad Imperatorem & externos Reges, ex insigni eorum libertate & superioritate. Vid. Kulpis. de Legat. Stat. Imp. & Preiberta de jure legat. stat. (2) Electores primi ordinis legatos mittunt; Principibus id

negatum: quorum causam egit Furstenerius de
 Suprematu: sicut Comitum Wetteravicorum,
 Perill. Frid. Chr. L. B. ab Edelsheim, in de-
 duct. Gallica, An. 1710. (3) Instrum. Pac.
 art. 8. §. 2. *Jus foedera faciendi, sive cum ex-*
teris, pro sua cujuscunque conditione & securitate
singulis Statibus liberum sit, modo ne ejusmodi
foedera sint contra Imperatorem & Imperium pa-
cemve ejus publicam. (5) Foederum illustrio-
 rum exempla, Smalcaldicum, Chamborticum.
 Unio, Liga, Hansa Teutonica, aliaque apud
 Lehmannum, Dattium & Lunigium. Eorum
 causas vide apud Leibnit. Cod. dipl. mant. p.
 2. num. 8. pag. 93. & Obrechtum diff. xvi.
 de Imp. Germ. ejusque Statuum foederibus. (6)
 Bodinus lib. 1. de Rep, c. 10. *Memini quadra-*
ginta septem foedera, quae Reges nostri Philip-
pus V. Carolus V. VI. VII. Ludovicus XI. cum
Germanis Principibus coierunt; quibus se auxi-
lio futuros adversus omnes, excepto Imperatore &
Rege Romanorum responderunt: Nec dubitarunt
se vasallos ligios Regis Francorum eo jurejurando
constituere. Vid. Grot. 1. c. 3. §. 21. (7) Recte
 autem Pufendorf lib. 13. Rer. Brand. §. 16.
Speciosum sane id jus foederum & magnificum,
& in quo praecipuum libertatis specimen resideat,
sed ex quo demum totius Imperii exitium proven-
turum sit, si Ordines proterve eodem abutantur,
nec quavis foedera accurate totius Imperii rationi-
bus attemperent.

§. LXIII. *Aerarium imperii, si quid*
ei inferendum est, impletur ex colle-
ctis, quae secundum Expeditionem Ro-
manam simplam, duplam, triplam,
centuplam, in Comitibus decernuntur, &
 à Sta-

à Statibus ad civitates, huic rei destinatas, mittuntur.

(1) *Tributa ab Imperatore pro lubitu indici, Germanis auribus inauditum*, ait Monzamb. c. v. §. 7. (2) Modus contribuendi militem secundum expeditionem Rom. à temporibus Maximil. I. (3) Modus collectandi nummos, secundum expeditionem cessantem, a tempore Caroli V. (4) Thuan. lib. 130. *Rudolpho II. quod hucusque factum non erat, promissa 80. mensium stipendia.* (5) Civitates, *Legstätte*, sunt Noriberga, Augusta, Francofurtum, Ratisbona, Lipsia. &c.

§. LXV. Jus fisci & domanium imperii, Cæsarum munificentia, venditione, oppigneratione, aliisque de causis, ferme totum, ad territoriorum dominos pervenit; nec quæ semel data, aut usu diuturno acquisita sunt, repetere licet.

(1) Quanti olim reditus Imp. ex provinciis & agris tributariis, metallifodinis, censu Judæorum, mulctis, vectigalibus &c. (2) Quid hodie a Civitatibus Imperialibus & Nobilitate immediata; ex taxa dignitatum, & tributis Italiæ commodi habeat, nec non ex auxiliis bellicis, adversus Turcas. (3) An fides habenda sit Schneidewino, ad tit. Inst. de Success. ab int. tit. de Success. fisci n. 5. scribenti: ævo non pecunioso, Friderici Barbarossæ, Imperii reditus fuisse *sexaginta tonnas auri ex Germania & Italia, hodie vero vix tanti esse, quantum disponendis & alendis Postis satis est.*

§. LXV.

§. LXV. Jus cudendi monetam, Otho-
num liberalitate, cum Episcopis pri-
mum, deinde cum Ducibus, Principi-
bus & Urbibus communicatum, quum in
abusum & reip. detrimentum vergere
videretur, a tempore Rudolphi II. re-
stringi cœpit, per leges monetarias,
summa sapientia latas, quibus novissi-
me adjectum, ut ne Imperator, sine
Electorum consensu, illud concedere
queat.

(1) Tacitus de M. G. c. 5. *Interiores sim-
plicius & antiquius permutatibne mercium utun-
tur. Pecuniam probant veterem & diu notam,
serratos bigatosque.* (2) De nummis bracteatis
vid. Sagittarius, Slegellius, alique (3) Feli-
citas aliorum regnorum, eodem monetæ gene-
re indigena utentium, cum malis, ex legibus
monetariis non observatis, comparata. vid. To-
bias Oelhafen *de rei nummarie in Germania sta-
tu hodierno.* Goldastus in *Catholico rei numma-
riae.* Dn de Bunau in *diff. De jure circa rem mo-
net. in Germania.* (4) Modus Lipsiensis A.
1690. inter Electores Saxonie, Brandenburgi-
cos & Brunsvicensis duces definitus, & ab
aliis Statibus adoptatus, quomodo differat à
Zinnensi. (5) Loccenius lib. III. de Ord.
Rep c. 13. *Novimus quosdam Germania Princi-
pes, ab erascatoribus ita fuisse exhaustos, ut alie-
na quadra, imo misericordia illorum, qui eos ex-
pilarant, vivere cogentur. Isti prædones ar-
gentarii, paupere fisco se tantum ditantes, haud
uno apud exteros loco, ex permutatis nummis
ponderosioribus & melioribus recudebant longe le-
viores*

viros ac viliores, & pro pecunia lutum atque rauduscula reddebant: Unde commercia turbabantur, multorum facultates accidebantur, egeni premebantur & miscebantur suspiria, minæ motusque plebis. Sane quod crediderim, antea mbulo erat bellorum civilium & tot mutationum, in Germania subsequatarum.

§. LXVI. Cetera, quæ solus Imperator, absque Statuum omnium, vel Electorum consensu, facere potest, & vulgo *Reservata* appellantur, vel sunt reliquæ status Monarchici, vel magis ad existimationem Statuum, quam ad ipsum Imperii statum publicum pertinent, earumque multa Statibus vi superioritatis exercere licet.

(1) Huc pertinet jus extremæ provocationis; jus investiendi & legitimandi Status; feuda vacantia, privilegia, dignitates titulosque concedendi, & de iis cognoscendi; confirmandi Academiæ, &c. (2) Magis sunt, quæ Status Imperatori, quam quæ Imperator sibi reservavit (3) Numerus eorum vix iniri potest, nec est necesse. (4) Vide Thomaf. Disp. de injusta oppositione jurium Majestat. Superior. territ. & reservat. Imp.

§. LXVII. Superioritas territorialis est summa potestas, circa sacra & profana, Statibus Imperii in territoriis suis competens, salvo jure Imperii; vulgo *die Landes hohe Obrigkeit* vocatur.

(1) Est potestas majestatis æmula, non majestas

jestas ipsa: nec prorsus summa, aut regia, ut Baldus ad l. fin. C. de Test. mil. Martial. lib. 12. ep. 18. *Qui Rex est regem, Maxime, non habeat.* (2) Initia ejus jam apud Tacitum de M. G. c. 7. II. 37. ex innato amore libertatis, quam *Germanum bonum* Lucanus lib. VII. *vetere[m] Germaniæ libertatem* Tacitus XI. Ann. c. 16. *Liberam gentem* Seneca appellavit lib. 2. de ira c. 15. (3) Partes ejus *Regalia* dicuntur: quorum alia sunt *majora*, quæ in ipsa potestate regendi territorium; vel *minora*, quæ in mediis; vel *minima*, quæ in commodis consistunt. (4) Eyben de Brocardico: *Tantum quisque Status potest in suo Territorio, quantum Imperator in Imperio,* (5) Statuum dignitas, existimatio, tituli &c. vid. Hertii Diss. de *Superioritate territ.* cui inter hujus materiæ interpretes, quotquot sunt, palma deferenda est.

S E C T I O VI.

De Forma Imperii.

§. LXVIII. Imperatoris nunquam absoluta in omnia, tamen major olim potestas; quæ sub Henricis decrevit, nec post interregnum instaurari potuit; donec forma singularis, innominata & fluctuans inter Monarchiam & Systema fœderatorum, Capitulationibus & Pace Westphalica, firmata est.

(1) Quot capita tot sententiæ. Alii Monarchiam, alii Aristocratiam, absolutas, vel limitatas

tatas, alii ex Monarchia & Aristocratia, alii ex tribus formis mixtam, alii rursus corpus Achaicum, seu Systema foederatorum esse contendunt. (2) Moguntinus Elector apud Sleidan. lib. I. ait: *Nobis imprimis Aristocratia est tenenda*, & ita Bodinus lib. II. de Rep. c. 6. *Quis dubitet, Remp. Germanorum Aristocratiam esse?* (3) Principes apud Hortleder de C. B. G. c. 8. §. 13. *Germanicum imperium esse foederationem* ajunt; sicut Jac. Gothofredus, in Achaica, id cum Concilio Achæorum componit, etiam Thuanus, in digressione, quam de Germania instituit, lib. II. sed candide subjungit: *verum hæc cum Germania comparata, quasi musca ad elephantum.* (4) Optime Ludolphus Hugo de Statu reg. Germ. c. 2. §. 8. tempora distinguit: & Hert. prud. civ. p. I. sect. 12. §. 9. herbæ comparat anonymæ, *quæ non inveniendò, nomen invenit*, auctore Plin. lib. 27. c. 7.

§. LXIX. Quamvis autem forma a communibus abeat, & hoc significatu irregularis sit, non tamen hac appellatione macula ei adspergitur, sed satis bona est, & ad genium populi attemperata.

(1) Tacitus de M. G. c. 7. *Nec Regibus infinita aut libera potestas. Idem c. XI. auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate.* & lib. XIII. Ann. 54. *in quantum Germani reguntur.* (2) Judicium singulare Regis Saracenorum, in colloquio cum Othonis legatis, apud Labbeum t. I. Biblioth. Ms. novæ p. 776. *Unum est, in quo Othonem non satis providum esse constiterit, quod potestatem virtutis suæ non sibi soli retinet, sed passus est uti quemque suorum propria potestate, ita*

ut partes Regni sui inter eos dividat, quasi eos sibi inde fideliores habeat & subiectiores, quod longe est. Exinde enim superbia & rebellio contra eum nutritur atque paratur, ut nunc in genero ipsius actum est, qui filio ei per perfidiam subducto, publicam tyrannidem contra eum exercuit. (3) An Monzambano peccarit in reverentiam imperii, quod cap. vi. §. 9. Germaniam, scripsit, esse irregulare aliquod corpus, & tantum non monstro simile, siquidem ad regulas scientiæ civilis aliasque respublicas exigatur, & cuius similis in toto terrarum orbe non extat: quod lapsu temporum per sortordem facilitatem Casarum, ambitionem Principum, turbulentiam Sacerdotum, factiones Ordinum, atque inde prognata bella civilia, ex regno regulari, in tam male concinnatam formam est provolutum. Adde ejus Differt. de Republ. irregulari.

§. LXX. Capitulatio est conventio, qua Imperator, per Electorum suffragia destinatus, ante coronationis solennia, certas condiciones, de Rep. administranda, nomine Imperii propositas, se servaturum jurato promittit.

(1) Nomen à variis capitulis; seu articulis, unde & capitularia. (2) Origo ejus vera non ultra Carolum V. quærenda, in cujus electione Saxo suadebat: *leges ei præscribendas, quibus pericula & incommoda ab Archipræsulibus, in medium allata, vitentur, Germaniæque libertati consulatur*, apud Pontum Heuterum lib. 8. c. 2. & Sleidanum lib. 1. (3) Consilium de clausula commissoria adjicienda bene rejectum. vid. Puffend. Rer. Brand. lib. VII. n. 22. 33. 37. (4) Non minuit Majestatem, sed arctius reddit imperium.

perium. v. Grot. lib. 1. c. 3. §. 16. (5) De Capitulationis perpetuæ materia non inextricabili, lepide Monzamb. de Statu imp. c. v. §. 2.

§. LXXI. Imperator, quoniam ipse summus in Imperio est iudex, si ut homo delinquit, iudicem solum habet Deum: in causis civilibus & feudalibus coram summis Imperii tribunaliibus: ob cetera in comitiis conveniendus est.

(1) Olim Comes S. Palatii in causis fiscalibus erat Imperatoris iudex electivus, A. B. tit. 5. §. 3. & Henr. Rebdorffius ad A. 1300. tom. I. Script. Freheri: *Esse officium Palatine dignitatis, ex quadam consuetudine, Comitem Palatinum de causis cognoscere, quæ ipsi Regi moverentur.*

(2) Pariter ac de Trajano Plinius in paneg. Dicitur actori, etiam procuratori tuo, in jus veni, sequere ad tribunal. (3) Idem de Regis Angliæ Comite Palatino tradit Matth. Paris. ad A. 1236. (4) Largæ ineptiæ Glossatoris ad Weichb. lib. 1. art. 8. & 9.

§. LXXII. Quod si summa potestate ita abutatur, ut hostilem animum palam & admonitus ostendat, ex ratione juris gentium ab omnibus Imperii Statibus exauctorari potest.

(1) Fundamentum depositionis vide apud Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 4. §. xi. & Titium Spec. jur. publ. l. v. c. 6. §. 20. (2) Formulam, qua Wenceslaus, ventri tantum obediens & virtutis legumque contemtor, imperio exutus est, habet Goldastus tom. I. Const. pag. 379.

(3) Adolphum Nassovium recte remotum esse, negat Clar. Gundling, part. 1. Ot. 4. (4) In exauctoratione Henrici IV. Othonis IV. Frid. II. & Ludovici V. jus a facto Paparum distinguatur. (5) Otto Frising. lib. VI. c. 35. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nunquam invenio, quemquam eorum ante hunc Henricum IV. a Romano Pontifice esse excommunicatum vel regno privatam.*

S E C T I O V I I.

De Ratione status.

§. LXXIII. Vires Germaniæ, ob hominum & rerum abundantiam, sine dubio sunt maximæ, nec ullum robustius corpus foret in orbe terrarum; nisi varia membrorum distractio, æmulationes & controversiæ, ex dignitatis, potentiæ, religionis & studiorum disparitate enatæ, morbos nulla medicabiles arte genuissent.

(1) Grotius epist. 1131. *Hodie Germanorum Principum unusquisque egregium publicum sibi obtendit pro mantello; ceterum ad rem suam quisque catus est. Et hæc est causa, cur tam facile segregentur, collecti vinculo male coherente, ex privatis utilitatibus.* (2) Thuanus lib. LX. ad A. 1575. *Germaniæ Principes, si ad universos respicias, ad tutelam Imperii opibus potentes, eorum quam firmum robur; tam debileis opes esse, si singulè*

guli singillatim aliquid aggrediantur; siquidem in Imperio Principes fere res suas curare, de alienis parum sollicitos — adhuc scissura ob religionem fieri, ut alter alteri non satis bene fidat. (3) Reliquos morbos, in Germaniæ visceribus latentes, Hyppolitus à Lapide fatis acerbe, & partem non ex vero; sed modestius Monzambano de ratione Status Imp. Germ. descripserunt.

§. LXXIV. Interest ergo, ut domi concordia Imperatorem inter & Status facta tecta sit: ac hoc fine, Pax Westphalica strictè observetur, ne ob religionis gravamina in partes sit eundum: miles alatur perpetuus; loca sint munita; ærarium militare & Camerale bene refertum; comitia continuentur.

(1) Taciti ætate hoc erat votum Romanorum, de M. G. c. 33. *Maneat, quæso, duretque Gentibus, si non amor nostri, certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil jam fortuna præstare majus potest, quam hostium discordiam.* (2) Simile suo ævo commemorat Aventinus, lib. VII. c. 18. *Proverbium Romanensium: Sibi quam maxime utile esse, Germanos quam stolidissimos manere.* (3) Adde Monzambano de ratione Status Imp. c. 8. & Schurtzfleisch diff. 49. *Quid expediat imperio?*

§. LXXV. Foris Turcarum potentia, sed magis Gallorum plus semel molesta fuit, & metus est, ne quid iterum tentent; plura tamen de illis troppæ numerant Germani: ceteris vero

Europæ regnis vel rebus publicis vicinis horum amicitiam colere, quam rumpere expedit.

(1) Turcarum nomen, tam clamore Sacerdotum in cruciatis, Germaniæ formidabile factum, quam moribus truculentis, & milite sobrio, ac herilis disciplinæ patiente; nil autem propter exercitum inexercitatum & commeatus difficiles ab iis est periculi. (2) Regnum Galliæ absolutum, plebe tributis nunc exhausta & commercio frigente, pariter ardente febris, ac Germanicum hydropse laborat. (3) Forstnerus ad Tacitum pag. m. 382. *Ibrahimus Bassa, in Comitibus Imperii Francofortensibus, dixisse fertur: Germanorum consilia & actiones similes esse belluæ multorum capitum, & plurium candarum, quæ sepe transire conaretur: & quia capitum quodque sibi diversum foramen quæreret, fieri, ut simul universum corpus maneat immotum, impediaturque, quominus ulterius progredetur. Contra suum Imperatorem unicipiti animali comparabat, plures habenti caudas: quod ubi semel capite transiisset, statim corpore toto atque caudis omnibus sine ullo impedimento penetraret. Barbari iudicium minime barbarum!*

§. LXXVI. Exoletas jurium vindicias, seu prætensiones in vetus Imperium Romanum, terrasque Pontificis, ac totum regnum Arelatense: utet in Poloniam, Daniam & Hungariam præstat silentio damnare, quam persequi; quia derelictio obstat, & commoda quæ ad-

adferre possent, majoribus incommo-
dis premuntur.

(1) Fœde Bartolus adulari dicitur Impera-
tori, a quo natalibus restitutus, quod hæreticum
vocat, qui Imperatorem totius mundi dominum
neget ad l. 24. D. de Captiv. & postl. rev. sed
ex mente Ecclesiæ, ait: *Et forte, si quis diceret,
Dominum Imperatorem non esse Dominum & Mo-
narcham totius orbis, esset hæreticus: quia dice-
ret contra determinationem Ecclesiæ.* (2) Nuga-
tur autem Baldus in præm. Dig. qui eundem
dominum appellat universæ ditionis, quæ a-
scendentem descendentemque & utrumque latus
adspicientem Solem respicit. (3) Nec ille tan-
tum; sed & Fridericus I. apud Rogerium de
Hoveden Annal. Angl. in vita Henr. 11. Hen-
ricus III. apud Marianam lib. IX. c. 15. & Rein-
king. de Regim. sec. lib. I. cl. 2. cap. 9. (4)
Vere Grotius lib. II. de J. B. & Pacis. cap. 22.
§. 13. *Ne in omnia quidem, quæ olim fuere po-
puli Romani, Imperator Romanus jus nunc habet;
multa enim ut bello quæsitæ, ita bello amissa sunt;
alia pactationibus; alia derelictione in aliarum gen-
tium aut Regum jura transferunt.* (5) De præ-
tensione vana in Angliam & Hollandiam vide
Grotium append. Epist. 59. Conring. de Fin.
imp. l. 2. c. 28. & Schweder. Theatr. prætenf.
lib. I. c. 29.

§. LXXVII. Dominium vero dire-
ctum in Parmam, Placentiam, Floren-
tiam, Luccam, Genuam: nec non in
Provinciam, Delphinatum, Comi-
tatum Avenionensem & Venaysinum,
ac principatum Arausionensem, Impe-

rio Germanico, sat validis argumentis, assertum est.

(1) De feudis Italiae, Imperio vindicatis, vid. Struv. dissertationem, Juri publico praefixam, & Buderii Vindicias juris Imp. (2) Gundlingii, Mascovii & Hahnii dissert. de jure Imperii in Florentiam. (3) de Lucca Leibnit. Cod. dipl. t. 1. n. 61. 62. 65. de Genua Bodinus lib. 1. de Rep. c. 9. (4) de Comitatu Provinciae & Delphinatus, Galliae quidem, sed salvo jure imperii, acquisitis, testantur diplomata apud Leibnit. C. dipl. Prodr. n. 15. & p. 1. n. 84. (5) Ducatum Barrensem Imperio vindicavit Chiffletius in comm. Lotharing. adversus Blondelli Barum Campano-Francicum. (6) Consultationes Frid. I. Caroli V. Maxim. II. & Rudolphi II. una cum causis difficultatum recuperandi amissa, habet Boecler Notit. Imp. lib. 2. cap. 4. (7) Monzambano c. VII. §. 8. *Quod & ipsam efficit, ut tam robustum cetera corpus ad externos invadendos, aliquidque acquirendum, velut enerve deprehendatur; cum nova incrementa Casari nolint accedere Ordines, neque tamen eadem inter omnes aequaliter possint distribui.*

S E C T I O VIII.

De Titulo, Insignibus & Singularibus Regum.

§. LXXVIII. Titulus est: *Carolus VI. Dei gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus; Germaniae*

niæ, Hungariæ, Bohemiæ, utriusque Siciliae, Dalmatiæ, Croatiae, Slavoniæ, Bulgariæ, Bosniæ, Serviciæ & Rasciæ Rex; Archidux Austriæ, Dux Burgundia, Brabantia, Luzelburgi, Styriae, Carinthiæ, Carniolæ, Wurtenbergæ, utriusque Silesiæ: Princeps Sueviæ: Marchio S. R. J. & Burgoviæ, Moraviæ, Superioris & inferioris Lusatiæ: Comes Habsburgi, Tirolis, Pfi-retarum, Kypurgi, Gæritiæ: Land-gravius Alsatia; Dominus Vinidorum Marchiæ, Portus Naonis, Salinarum &c.

(1) Imperator *Electus* olim dicebatur, quam diu Romanam coronam non acceperat. Leibnit. prodr. Cod. dipl. n. 5 & 14. sed Maximilianus I. vocem solennem fecit. (2) *Semper Augustam* per ὄφειν, ut *semper lenitas* apud Terentium, *semper parens* apud Nasonem, Fridericus Barbarossa se primum stilo curiali vocavit. (3) Regis *Germaniæ* titulus a Maximiliano I. adjectus, ut liqueret, Imperium Romanum esse Teutonicæ nationis. v. Goldast. t. 2. pag. 178. Const. Imp. juncto Ottone Frising. lib. II. c. 21. ubi: *Penes nos cuncta hæc sunt &c.* (4) *Syrma* regnorum & provinciarum haud vetustius est Maximil. I. & Carolo V. (5) Tituli adjecti vi: *Serenissimus, Potentissimus, Invictissimus, Sacratissimus, Gloriosissimus.* (6) Epitheta: *Advocatus Ecclesiæ, Dux natus Christianorum &c.* vid. supr. §. 48.

§. LXXIX. Insigne Imperatoris &

imperii est Aquila biceps, nigra in solo aureo, cujus crura & rostrum cocco tinguntur, imposita corona Imperiali.

(1) Aquila, avium Rex, Jovi quondam sacra, divinitatis & imperii symbolum in nummis; etiam apud Assyrios, Hetruscos & Romanos in summitate sceptrorum vid. Spanhem. de Præstant. & usu numism. diff. IV. p. 171. & diff. VII. pag. 431 (2) Bicipiti primum usus est Wenceslaus; forte ad conjunctionem Imperii orientalis, vel, ut alii volunt, Regni Germanici cum Imperio Romano indicandam. Vid. Spener. Op. Herald l. 1. c. 9. & Heinecc. de Sigillis lib. 1. cap. 9. (3) Barclaj. Sat. p. IV cap. 5. *Sed nihil in ea gente magnificentius, quam quod nomen summi imperii Aquilamque sibi habet: tanquam Romam Germania vicerit, & provinciarum ultima, quæ Italico jugo accessit, jam sit sola, in qua nomen & reliquæ fortunæ Romanæ acquirerint.*

§. LXXX. Imperator, omnium Imperatorum & Regum summus, peculiaribus in titulis & præcedentia prærogativis gaudet; æque non solum a Pontifice & Sultano Turcarum, sed etiam ab ipsis Regibus, quorum aduatores dubia moverunt, agnoscuntur.

(1) Fundamentum hujus eminentiæ, non in continuatione Imperii Romani, & bestiis Danicellis, aut quarta Monarchia, sed in potentia Imperii veteris, & majestate hodierni, conventionem expressam vel tacitam exprimere apta, quæren-

rendum est. (2) Accedit, quod quidam Europæ Reges Germaniæ clientes & tributarii fuerunt; alii vero ex ea ortum trahunt; plerique ejus majestatem comiter coluerunt. Radevicus lib. 11. c. 76. Reges Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Bohemiæ & Hungariæ, narrat Frederico I. denunciaſſe: *Illi cedere auctoritatem imperandi, ſibi non deeſſe voluntatem obſequendi.* (3) Auberius, advocatus Pariſienſis, quod in libro Gallico *de Præcedentia Regum Franciæ*, Cæſaris Majestatem & titulum contumelioſe depreſſit, dicis cauſa pœnas dedit. (4) Turcæ Imperatorem, inter principes, Jeſus nomen profitentes, primarium & gentium Chriſtianarum deſenſorem & adminiſtratorum juſtitia agnoſcunt, teſte Leunclavio & Buſbequio; aliquando & *Patrem* vocarunt, Thuan. lib. 136. *Zwanzig* Theatr. præced. c. 2 pag. 5. (5) Auctor vitæ Urbani V. apud Baluzium vit. Pap. Aven. pap. 388. *Anno 1369. ad Urbanum Papam. Romæ exiſtente, acceſſit Johannes Palæologus, Imperator Græcorum; fuitque receptus honorifice, ac tractatus per dictum Papam & Cardinales, paulominus, quemadmodum ſi fuiſſet Imp. Romanus.*

§. LXXXI. Modus ad imperium veniendi, inde ab Arnulphi temporibus, eſt Electio; ut tamen a familia regnante, non niſi ob cauſas graviffimas, fuerit diſceſſum, & temperamentum regni hereditarii placuerit, ad ſtirpes bellorum civilium elidendas.

(1) Francorum Reges, jure ſucceſſorio uſi, teſtamenti de regno diſpoſuerunt, illudque inter liberos diſiſerunt, donec Arnulphus, ob nata-

lium defectum, primus a Germanis eligeretur. (2) Saxonici Impp. filios, etiam minorennes, sibi successores declararunt: Henricum II. *jure hereditario regnaturum*, ajunt Germani apud Dittmar. lib. v. & Bruno in historia belli Sax. ait, Henr. IV. *patria hereditate regnum suscepisse*. (3) Hoc autem exauctorato, refert Goldastus t. 1. Const. f. 238. Forcheimi A. 1077. constitutum esse: *Ut regia potestas nulli per hereditatem, sicut ante fuisset consuetudo, cederet: sed filius Regis, etsi valde dignus esset, per electionem potius spontaneam, quam per successionis lineam Rex proveniret: si vero non esset dignus filius, vel si nollet eum populus, quem Regem facere vellet, haberet in potestate*. (4) An tanta electionis sint mala, quanta videntur Bodino lib. vi. de Rep. cap. 5. Barclajo lib. 1. Argen. & Lipsio monit. polit. c. 3. vide Guntheri Ligurin. lib. 1. v. 246. *Nos quibus est melior libertas &c.*

§. LXXXII. Quoties morte, abdicatione aut exauctoratione vacare configit imperium, initio totus populus; deinde Proceres Ecclesiastici & seculares; postremo soli Electores, à temporibus interregni, Imperatorem creant.

(1) In historia priscarum electionum *totius populi, multitudinis, omnium*; sed plerumque *Primorum & Principum* fit mentio, vid. Onuphr. de Com. Imp. c. 6. (2) Lineamenta Electorum, jam sub Henrico VI. apud Gervasium in Otiis imp. lib. II. ubi *Palatinorum electionis* meminit: alia temporibus Othonis IV. & Philippi apud Arnoldum Lub. lib. VII. c. 15. *Principes,*

pes ad quos electio Regis pertinere videbatur. Adde Innocentii III. epistolam, ejusque c. venerabilem 34 X. de Electione (3) Sed in actis electionis Conradi IV. Patres imperii & lumina: paulo post *Electores ecclesiastici & seculares*, sensu speciali: & *Septem Electores* memorantur, apud Leibnit. Prodrum. Cod. diplom. n. 11. 13. & 14. (4) Elogia Electorum singularia in Aurea Bulla prol. & tit. 3. seq. *qui velut columnae proceres sacrum edificium circumspectae prudentiae solerti pietate sustentant: quorum praesidio dextrae imperialis potentia roboratur.* (5) Cur Francofurtum electioni, Aquisgranum inaugurationi, in Aurea Bulla, sit destinatum, vid. Germanum apud Mabillonium lib. 4. de Re diplom. n. 4. & 60. Gundlingiana p. 18. n. 1. 2. juncto Virgilio lib. vi. Aeneid 173.

§. LXXXIII. Inauguratio Imperatoris est actus sollemnis, quo symbola imperii, ut globus, sceptrum, gladius & corona in electum, non uno jurejurando adstrictum, certis ritibus conferuntur, auspicii, splendoris & auctoritatis gratia,

(1) Inauguratio ad Carolum V. usque fuit triplex: Aquisgranensis, Mediolanensis & Romana. (2) Totidem coronae aureae: quarum prima argentea, altera ferrea, tertia aurea inepte fingitur. Vid. Fontaninum & Muratorium de corona ferrea. (3) Coronationem Germanicam descripsit quidam apud Matthaeum ad Auctorem incertum pag. 200 & Lunigius in Cereimoniali. (4) Quod vestimenta, quae vulgus Caroli M. sed nullo veri colore, vocat, induuntur,

untur, non novum est: nam Plutarchus de Regibus Persarum scribit, in Artaxerxe cap. 2. *Templum Deæ cujusdam bellicæ, quam Minervam esse, conjicere liceat, intrare oportet eum, qui iniatur, suoque amictu deposito, eam stolam induere, quam Cyrus ille Magnus, antequam reciperet regnum, gestaverat.* (5) De corona Imperatoria clausa, & globo, seu pomo, orbis imperium indicante, ceterisque insignibus, vid. Obrechtus, Erdtmannus & Ludewigius.

§ LXXXIV. Aliquando etiam Augustæ coronantur, non tanquam vere participes imperii & consortes; sed quoniam Principes eadem illis privilegia in rebus suis tribuunt, quibus ipsi fruuntur: unde &, in modum emanationis cujusdam, titulo majestatis gaudent, jus primariarum precum exercent, & Archiofficiales habent abbates, Camerarios, aulæ magistrum &c.

(1) Feminarum imperio subdi ignominiosum esse, crediderunt Germani, Tacit. XII. Ann. 40. *Inesse vero iis sanctum aliquid & providum putant, nec aut consilia earum adspernantur, aut responsa negligunt*, ait idem de M. G. c. 8. ubi Lipsius. (2) Ritus inaugurationis describitur in Ceremoniali apud Goldastum t. 3. const. p. 403. diversus à Constantinopolitano, apud Codinum de off. c. 18. (3) Abbas Fuldensis, qua Archicancellarius Augustæ, coronam capiti ejus, in actu inaugurationis, demit. Vid. Cl. Waldschmidium de *Archicancellario Augustæ*. (4) Abbas Campidonensis ejus est Archimarechallus; Abbas

bas S. Maximini Archicapellanus, a temporibus Othonis I. cujus diploma dedit Cl. Mascovius de Official. imp. §. 58. (5) De juribus ejus v. l. 31. D. de Legibus, Fritschius de Augusta, & Schilt. Inst. J. p. lib. 1. tit. 16.

§. LXXXV. Vivo quoque Augusto, Rex Romanorum, electus Imperii Candidatus, iisdem ceremoniis inauguratur, ut mortui Imperatoris indubitatus sit successor, & incommoda inter regni evitentur.

(1) Comparetur Rex Rom. cum Cæsare Romanorum, cujus appellatio *nihil peculiaris potentiae, sed successionem* indicabat, Dio Cass. lib. 53. (2) An inconsultis Statibus Imperii eligi possit post Capit. Car. VI. art. 3. an eligatur per majora? v. Grot. epist. 714. (3) Differt ab Imperatore, ut futurus successor ab eo, qui actu imperat: hinc sine illius, præsentis & non impediti mandato rebus imperii se immiscere non potest. v. Gell. lib. IV. c. 10. (4) Majestas, per *πρόληψιν* ei quandoque tributa, dignitatem eminentem notat. (5) Præfertur omnibus Imperii Statibus, vix autem promiscue Regibus exteris; vid. Jac. Gothofred. de Jure præced. pag. 29.

§. LXXXVI. Ætas legitima Imperium capessendi est annus octavus decimus inchoatus; ante quod tempus Rex Romanus vel Imperator minorennis sub tutela vel cura est, & Vicarii imperii, Palatinus & Saxo, omnia Imperii negotia, ejus nomine expediunt.

(1) Ætas

(1) Ætas illa Imperatoris demum definita per Capit. Josephi art. 47. eadem vero plena pubertas in Electoribus jam ante requisita, per A. B. c. 7. §. 9, (2) Quod si Rex electus tutores non habebat, Electores ei prospiciebant. Chron. Belg. apud Pistor. fol. 246 (3) Tutelæ maternæ exemplum est in Theophania, Othonis III. matre, adminiculante Willigiso, Germaniæ Primate. Dodechinus ad A. 1160. *Temporibus Othonis Imp. hujus nominis tertii, præfuit ecclesiæ Moguntinæ Villegisus, Archiepiscopus memoria dignus, qui ipsum Othonem, adhuc puerum, & Imperatorem educavit, & interim per 16. annos Romanum rexit imperium.* Adde Leibnit. t. 1. Script. Brunf. pag. 481.

§. LXXXVII. Vacante Imperio iidem Electores, Palatinus & Saxo, sunt Vicarii Imperii in Germania, Sabaudus & Mediolanensis in Italia, atque eadem possunt, quæ Imperator, nisi nominatim sint excepta.

(1) Alias Interreges, Locumtenentes, Procuratores, Provisores, Rectores & Governatores Sacri Imperii dicuntur in A. B. tit. v. §. 1. & apud Leibnit C. dipl. p. 2. pag. 102. (2) Quo jure Clemens V. & Johannes XXII. sibi Vicariatum Imp. Rom. arrogarint, in *clém. pastoralis §. f. de Appellat, & c. un. Ne sede vac.* vid. Grot. l. 2. c. 9. §. 11. n. 4. (3) Prærogativa Palatini & Saxonis, ex utriusque comitiva Palatina, & divisione Germaniæ in terras Francorum & Saxonum. (4) Jura Vicariorum Germaniæ Cl. Gribnerus in variis differt. Vicariatum Italicum Dn. de Munchhausen explicavit.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII. Characteres Regum & Imperatorum sunt : Henricus Au-
 ceptus *Theseus Germaniæ*, Otho I. *Magnus*; Otho II. *pallida mors Saraceno-
 rum*; Otho III. *Mirabilia mundi*; Henricus II. *Sanctus & Monachorum
 pater*; Henricus III. *Pius*. Carolus
 IV. *dissipator imperii*; Wenceslaus *pi-
 ger*; Maximilianus I. *Sapiens* dictus.
 Ambitiosi Caroli V. symbolum *Plus
 ultra*; fratris justi Ferdinandi I. *Fiat
 justitia & pereat mundus*. Leopoldus
 pietate, eruditione & annis omnium
 felicissimus fuit.

(1) Variæ Imperatorum classes: alii imperio
 sunt exuti; alii sicca morte non occubuerunt;
 alii fortiter resisterunt Hierarchiæ Romanæ. (2)
 Hos inter Frid. I. cujus collum Venetiis ab A-
 lexandro calcatum non esse, docuit Reines. ad
 Rupert. epist. 57. & Rupertus ad Befold. c. 18.
 Grot. epist. 547. *Ego ipsorum Venetorum magis
 referre puto, ut pereat memoria ipsorum manibus
 oppressi Imperatoris egregii, gravi in Principes
 omnes, ipsosque Venetos exemplo* (3) Carolum IV.
 Argentinensis vitricum imperii appellavit; &
 Crantz lib. x. Sax. cap. 3. *Exhaustos ab eo esse
 imperii nervos, & vendita publica vectigalia,
 abalienatasque Imperii urbes, quas venum expo-
 sisset, Principumque finitimorum ditioni tribuis-
 set: & melius actum fuisse cum imperio, si neque
 Pater neque filius in eo fuissent.* (4) Nævos Ca-
 roli V. politicos Cl. Mencke dissert. singulari
 de-

descripsit. Ferdinandi I. laus est apud Busbeckium in legat. Turc. (5) Rudolphi II. ingenium Daniel Eremita in Itin. Germ. Leopoldi & Josephi vitas Gualdus, Comazzus, Wagner, Rinck & Zschackwitz dederunt.

§. LXXXIX. Domus Austriaca, ab aliquot retro seculis, Imperium obtinet: cujus conditor est Rudolphus Habsburgicus: crevit conjugii & justitiæ amore: arx & propugnaculum fuit ei itque adversus æternum illum hostem populi Christiani.

(1) De origine domus Habsburgicæ viginti sententias Schoenleben collegit, quæ ad quinque reduci possunt. (2) Ab Aniciis & Perleoniis eam derivat Lambecius, ut locus esset vaticinio aruspicum apud Vopiscum in Floriano c. 2. Ex Romanorum familia, post mille annos, *Imperatorem Romanum futurum, seu per feminam seu per virum, qui det judices Parthis ac Persis: qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat: qui per omnem Africam Barbaram non relinquat: qui Tapobranis præsidem imponat: qui ad magnam insulam (Britanniam) Proconsulem mittat: qui Sarmatis omnibus judicet, &c.* Sed Perleonios Judæos fuisse, vide in Gundlingianis part. I n. 4. (3) Ex actis monasterii Murensis, quæ edi curavit Peireskius, nunc constat, à Comitibus Altenburgicis augustam hanc stirpem derivandam esse: sed altius ad Leutharium I. Ducem Alemanniæ, A. 554 mortuum, ascendit Cl. Eccardus in Orig. famil. Austriacæ. (4) Symboli Frid. III. Austriaci A. E. I O. U. varias explicationes Lambecius proposuit, in
Diar.

Diar. Itin. Cell. n. 8. quas inter verisimilima videtur: *Austria est Imperare Orbi Universo.* (5) Domus Austriaca sex matrimoniis felix: unde tritum illud: *Bella gerant alii, tu, felix Austria, aube.* (6) Historiam, Genealogiam, regiones, præsentiones, prærogativas, insignia & scriptores Austriacos; vide apud Giovanni Germ. Princ. lib. 1.

§ XC. Hodie Imperio felicissime præest Carolus VI. Franciscus, Josephus, Wenceslaus, Balthasar, Johannes, Antonius, Ignatius: natus A. MDCLXXXV. a. d. 1. Octobr. Electus Imperator A. MDCCXI. 12. Oct. Coronatus 22 Decembr. Conjugem duxit Elisabetham Christinam, Ludovici Rudolphi, ducis Brunsvico-Guelpherbytani filiam, A. MDCCVIII. natam A. MDCCXI 28. Aug.

(1) Caroli educatio, studia, res bello & pace gestæ, coronatio Pragensis A. 1723. (2) Unicus mas stirpis proliferae, mortuo Josepho, quocum comparetur. (3) Ejus augustæ filia, sorores, neptes ex fratre, cognati & affines. (4) Vota melioris orbis pro mascula prole, opposita sententiæ Hippolithi a Lapide virulentæ, ob rationes a Monzambano indicatas c. 2. §. 4. & c. 8. §. 5. (5) In terras Austriacas succedit primogenitus, & feminae in subsidium, ex privilegio Frid. I. & Caroli V. (6) Caroli VI. declaratio circa successionem A. 1720. a Statibus provinciarum probata. (7) Pro jure Austriaco in Monarchiam Hispanicam, vid. Joh.

114 C A P U T I:

Alvarez de Costa *Aquila Augusta*, & Buddei
diff. de Testam. summ. Imp.

§. XCI. Aula Imperatoris nulla est
fixa, & moribus aut legibus definita;
Sed Austriacorum à Caroli V. tempo-
ribus fuit Viennæ, in terra heredita-
ria; neque extra Germaniam iis sedes
perpetuas licet collocare, nisi status
rerum aliud requirat.

(1) Ante Ludovicum Bavarum Imperatores
ex una provincia in aliam ad imperii palatia mi-
grabant. (2) Is vero, ob domania Imperii jam
diminuta, in Bavaria, mox Carolus I V. & Wen-
ceslaus in Bohemia: Sigismundus in Hunga-
ria sedes fixerunt. (3) Carolus V. Viennam
elegit, & Carolus VI. in Capit. art. 23. promi-
sit, aulam suam in Germania mansuram. (4)
Aventinus Ann. Boic. p. 2. lib. 7. n. 85. *Cesa-
res, præsertim Saxonici & Suevici sanguinis, an-
te Ludovici tempora, nullam fixam sedem habe-
bant, sed domesticis possessionibus heredum fidei
commendatis, pro re nata, in urbibus Imperii &
Episcoporum domiciliis, per vices & velut in or-
bem, imperii negotiis dabant operam, vectigalibus
& Cesareo fisco cum Principibus, qui officii cau-
sa frequentes aderant, victitantes.* (5) Viennæ
antiquitas, palatia, munimenta. Favorita vicini-
na, Laxenburgum, Ebersdorfium &c.

S E C T I O IX.

De Viris illustribus.

§. XCII. Inter eos, qui Aulæ ministeria quotidiana obeunt, eminent imprimis Supremus Aulæ Magister, Supremus Camerarius, Supremus Aulæ Marechallus, & Stabularius Supremus; qui pro arbitrio Imperatoris, potissimum ex natione Germanica, adsciscuntur.

(1) Tales plerumque Principes & Comites sunt Imperii, utet ceteri, interioris admissionis ministri: unde frequens diplomatum clausula: *Sano Principum, Baronum, Procerum & Nobilium suorum & S. R. Imp. accedente consilio.* (2)

Centum & quatuordecim Leopoldi solos Consiliarios intimos recensuit Imhof, in Mantissa Notit. Proc. (3) Statum aulæ, qui fuit A. 1705. Rinckius describit, in vita Leopoldi pag. 148.

§. XCIII. Heroum, & veterum & recentiorum, tantus est numerus, ut iniri non possit: ad illos pertinent Arminius, patriæ suæ liberator; tum Wittekindus, Satraparum Saxoniae princeps, & illustrium familiarum parens. Ad hos Wallensteinius, Comes Mansfeldius, Bernhardus Dux Vinariensis, Christianus

Brunsvicensis, Stahrenbergius, Leopoldus Anhaltinus, & qui Germanici pectoris est, Eugenius, Sabaudia Princeps.

(1) Arminium Meibomius de Irmenfula, & Wasserbach de statua Arminii; Wittekindum, nominis indicio prudentem, & omine bellatorem, Reineccius, Crusius, Schurtz fleischius & Boeclerus illustrarunt. (2) Wallensteinii vitam Galeacius Gualdus & Sarazinus in Oeuvres mêlées. (3) Bernhardi, Ducis Vinariensis, gesta Matth. Lungwitzens. (4) Vitam Episcopi Bernardi a Galen, Joh. ab Alpen, & la vie de Christoph. Bernhard de Galen, Eveque de Munster, (5) Eugentrophæa varii descripsere. Vid. la vie du Prince Eugene, & d'Artanville memoires pour servir à l'Histoire du Prince Eugene.

S E C T I O X.

De Scriptoribus rerum Germanicarum.

§. XCIV. Veteris Germaniæ mores ritusque ex Cæsare, Strabone, Tacito, ceterisque Græcorum & Romanorum præcipue monumentis petendi sunt: quæ Conringius collegit, & Leibnitiuss illustravit, tom. 1. Script. rer. Brunsvic.

(1) Inter omnes eminent Taciti libellus de M. G. primo anno principatus Trajani compositus. *Omnia oculis usurpavi in Westphalia, que*

in Tacito quondam de moribus Germanorum legis-
sem, scribit Tullius epist. 1. (2) Plinius junior,
de avunculi sui scriptis agens, lib. v. Ep. 5. Bel-
lorum Germania viginti libros, quibus omnia, quae
cum Germanis gessimus, bella collegit, inchoavit
cum in Germania militaret, somno monitus. (3)
Domestici Historici deficiunt, quia carmina an-
tiqua, deperdita dudum, unum memoriae & an-
nualium genus fuerunt. Otfridus Weissenburgen-
sis in praefat. Evangeliorum, apud Lambec. lib. 2.
comm. de Biblioth. Vind. c. 5. p. 426. *Lingua*
haec (Theodisca) velut agrestis habetur, dum a
propriis nec scriptura, nec arte aliqua illis est tem-
poribus excolita, quippe qui nec Historias suorum
antecessorum, aut multa gentes ceterae, commen-
dant memoria, nec eorum gesta vel vitam ornant
dignitatis amore. (4) Systema quoddam anti-
quitatum Germ. Paulus Hachenbergius, sub titu-
lo *Germania media* dedit. (5) Majorem elegan-
tiam spirant, Furstenbergii Monumenta Pader-
bornensia, & Conringii dissertationes hujus ar-
gumenti.

§. XCV. Rebus medii aevi, a Con-
stantino M. ad Fridericum III. per
decem circiter annorum centurias,
egregiam lucem attulerunt collectiones
Scriptorum, Diplomatum & Monu-
mentorum; res novissimas Struvius
Gladovius, Spenerus & Hahnus, in
pragmatica Germaniae historia, simul
complexi sunt.

(1) Scriptores rerum Germanicarum mediae
aetatis ad vana delapsi, vero falsa, aut majora
vero miscuerunt, judice Lipsio, in notis ad lib. 1.

Polit cap. 9. Lambertum vero Schafnaburgensem haud contemnit. (2) Collectiones eorum praecipuae sunt: Scharzii, Pistorii, Reineccii, Reuberi, Urstifii, Freheri, Goldasti, Lindembrogii, Meibomii, Schilteri, Heineccii, Paulini, Leibnitii, Ludewigii, Junckeri, Eccardi &c. quorum ordinem & usum Freherus, Eccardus & Michaël Hertius, in Bibliotheca Germanica, monstrarunt. (3) Diplomata collegit Lundorpius, Leibnitiuss, Ludewigiuss, Thucelius, & inprimis Lunigiuss in vasto opere: quibus adde Hert. *de Fide diplomat. Germ.* tom. 2. (4) Insignis utilitas Glossariorum Speelmanni & du Frenii. (5) Goldasti collectiones sunt utilissimae; sed multa supposititia, abrogata, & ad Francos pertinentia, inferuit, nec auctores & fontes suos laudat. (6) Scaliger epist. 348. *Quis tam caecus, ut non videat, quantum sibi homines permiserint, quibus plus otii, quam fidei superstit? Ego multa Monasteriorum, Capitulorum, Episcopatum diplomata vidi Regum, Imperatorum, Ducum nomina & Scripturae vetustatem preferentia, quae vix ulli commentitia esse suboluit, nobis autem prima oculi conjectu odore falsitatis suae nares percusserunt.*

§. XCVI. Alii singularum regionum & rerumpublicarum religionem, antiquitates, Episcopos, Principes, nobilitatem, jura & insignia illustrarunt.

(1) *Res Moguntinas* Serrarius, Helvichius & Johannes: *Trevirenses* Kyriander, Browerus & Masenius: *Colonienses* Gelenius & Weinheimius. (2) *Austriacas* Cuspinianus, Guillimanus, de Roë, Vernulaeus & Perz: *Bavaricas* Aventinus, Velferus, Brunnerus & Adlzreiterus:

Saxonicas Fabricius, Chytræus, Kranzius & Mullerus: *Brandenburgicas* Peccensteinus, Reinecius & Cernitius: *Palatinas* Freherus & Tolnerus: *Brunsvicenses* Maderus & Leibnitius: *Anhaltinas* Sagittarius & Becmannus descripserunt. (3) Judicia de his aliisque innumeris, vide apud Giovanni in Germ. Princ. & Cl. Menckenium ad abbatis Fresnoji manud. ad hist.

§. XCVII. Geographiam Germaniæ antiquæ Cluverius, Cellarius & Spenerus: mediæ Paulinus, Turckius, Junckerus: hodiernæ Zeillerus, Hubnerus & Gladovius accurate descripserunt.

(1) De Cluverii Germania antiqua, judicat Grot. ep. 780. & in Proleg. ad Hist. Goth. ubi *virum doctum sane, sed mire confidentem*, Scriverius ad Grot. antiq. reip. Bat. *insignitæ audaciæ* vocat. Rachelius in Ot. Neomag. *multa ejus emendanda, iisve addenda esse*, monuit, & Holstenianæ animadversiones in opus illud leguntur. (2) Geographiam mediæ ævi illustrant, qui de Pagis scripserunt: Bebelius, Freherus, Valesius, Meibomius, Sagittarius, Knautius, Paulinus, Junckerus, Ludewigius in Proleg. ad Script. Monast. licet in gente vaga, suum singulis agrum, flumina & montes addicere, sit difficile, immo præstari vix possit. (3) Singulares partes executi sunt, Hartknochius Borussiam, Henelius Silesiam, Danckwerth Holsatiam, Valvasor Carniolam. (4) Martinus Zeillerus, præter Topographias quarundam regionum, scripsit de decem circulis Germaniæ; sed auctior prodiit sub titulo Hieron. Dicelii Reichs Geographie. (5) Novissimas inter tabulas, optima est

Joh. Baptistæ Homanni, sub tit. Imperium Romano Germanicum, in suos Circulos, Electoratus & Status accurate distinctum. (6) Grotius lib. VII. Hist. Belg. ad A. 1598. *Vetera certe nomina cum recentibus contendere speciosius, quam verius possem: nam & prisca auctores, parum introspecta Germania, haud eadem memoravere: turbata mox omnia crebris gentium inter se migrationibus: tam obscuritatem auxere secuti interpretes, antiquam sanam ad sua quæque gentis decora trahendo.*

§. XCVIII. Reipublicæ notitiam & rationem status quatuorviri personati: Hippolithus a Lapide, Severinus de Monzambano, Leutholfus a Frankenberg & Giovanni: Jus publicum vero Linnaeus, Conringius, Vitriarius, Coccejus, Schilterus, Titius, Struvius, Spenerus aliique recentiores tradiderunt.

(1) Sub Hippolithi a Lapide nomine quidam Joach. Dranse, Suecici regni legatum: alii Jacobum Steenbergium, nobilem Lüneburgicum, Regi Suecorum a consiliis; alii Joh. Joachimum a Rusdorf, Consiliarium Palatinum, latere volunt, de quo Grotius app. ep. 242. *D. Rusdorfii peritiam, in rebus hujus seculi plurimum admiror. solet id genus hominum saepe vaticinari, & vereor, ne & ille nimium vera conjecerit in eis, quos metam, pro sua bonitate, comiter habuit sermonibus. Recte Monzamb. cap. 8. §. 3. de lapideo illo Hippolitho: Jabet extirpavi domum Austriacam, & bona ejus in fiscum redigi. Hoc vero est carnificem agere, non Medicum*

&c. (2) Monzambani Satyra, sub nomine Sam. Pufendorffii prodit: qui suum esse factum agnovit & mitigavit; antea vero in app. epistolæ ad Scherzerum pag. m. 87. scripserat: *Publicam famam extinguere peccata me non est, & cur non sufficit, quod publice ejusdem me auctorem abnuerim, qua ratione isti os obturem?* (3) Franckenbergium esse Ill. Bernhardum Nobilem de Zeck, Giovanni vero illustrem virum, Joh. Petrum Ludewigium, inter omnes nunc constat.

SECTION I.

De Origine & Progressu Civitatis



Ab Iudæis, quibus in
 unius Regis imperio, du-
 bus latulis includuntur:
 quatuor altera, Anglia &
 Scotia regna complectens, Magna
 Britannia, altera minor, Hibernia ad-
 bellatur.

(1) In summis Commodi BRITANNIA;
 in arcu Severi BRITANNICUS, apud Græc-
 tarum p. 267. x. legitur. (2) Non a Brito Tra-
 jano, sed a Britone Rege. nec a Britonibus
 Gallis, sed a Britonibus. ager stanni, ut Ho-
 cianus conjectit lib. 1. Georg. c. 30. sed a
 Brito, pignus, & terra, regio, nomen accepit.
 Nec falso nomine Pictas, Claudian. lib. III.

Cont. H § CA.

CAPUT II.

DE

BRITANNIA.

SECTIO I.

De Origine & Progressu Civitatis:

§. I.



Roximum locum triadi da-
mus regnorum, quæ, sub
unius Regis imperio, dua-
bus Insulis includuntur:
quarum altera, Angliæ &
Scotiæ regna complectens, *Magna
Britannia*, altera minor, *Hibernia* ap-
pellatur.

(1) In nummis Commodi BRITTANIA;
in arcu Severi BRITTANICUS, apud Grute-
terum p. 265. 2. legitur. (2) Non à Bruto Tra-
jano, neque à Britone Rege. nec à Britonibus
Gallis, neque à *barat-anac*, ager stanni, ut Bo-
chartus conjecit lib. I. Geogr. c. 39. sed à
Brit, pictum, & *tania*, regio, nomen accepit.
Nec falso nomine Pictos, Claudian. lib. III.

Conf

Conf. Honor. 54. Vide G. Danielis dissert. de nomine Britannia. (3) Olim Albion dicta, ab Alp, collis; rupes alba. (4) Angliæ vocabulum recentius, & sub Inæ tempus cœptum, non ab angulo orbis, ab angelis, aut Angulo, Dani fratre; sed ab Anglis, Germaniæ populo, cujus Tacitus meminit de M. G. c. 40. Vid. Rob. Sheringhamius de orig. gentis Anglorum (5) Scotia, olim Caledonia, id est dura, ab incolis, vix ante Constantini ætatem sic appellatis, dicta est: hi vero à schoten schieten, non a Exoria, nec à Gothis, nec à Scot dicti, ut Matth. Westmonast. A. 77. Ex Pictis & Hibernensibus Scoti originem habuerunt, quasi ex diversis nationibus compacti. Scot enim illud dicitur, quod ex diversis rebus in unum acervum congregatur. (6) Hibernia, antiquis Ierna, vel Juverna, est quasi ultima habitatio; ut Iberia.

§. II. Omnis progressus commode in tres periodos dividitur; antiquam, mediam & novam. Antiqua, ab ultima gentis origine, ad Wilhelmum Conquæstorem usque, & A. M L X V I. decurrens, Britannica, Romana, Saxonica, & Danica tempora comprehendit.

(1) Julius Cæsar A. 55. ante Chr. natum Britanniam ostendit, non tradidit; Augustus de ea triumphavit, Horat. 111. Od. 5. Servius ad Virgil. 3. Georg. (2) Claudius partem australem A. Chr. 44. Agricola totam Romanis subjecit, Cambria & Hibernia intacta manente, Sueton. Claud. c. 17. Tacit. Agric. c. 13. (3) Romanorum operum reliquiæ, murus Picticus, a tribus

Impp.

(1)

Imp. ductus, & viæ militares, *Erminstraet*, *Wallingstraet*, *Ikenildstraet* (4) Saxones Orientales, meridiani & occidentales, Angli item, Jutæ & Frisii A. 449. in auxilium evocati, ducibus Hengisto & Horfa, septem regna condiderunt; quæ seculo 9. per Regem Egbertum, demum unita. (6) Tunc vero Dani hæc littora per annos 200. infestare ceperunt, unde *Danegeld*, tributum, de quo Selden. *Analect.* lib. 2. c. 6.

S. III. Media periodus, a Wilhelmo notho, Normanniæ Duce, ab A. Chr. **MLXVI** ad Henricum **VII.** A. **MCCCCLXXXV.** deducta, propter diuturna cum Gallis bella, & civiles Eboracensem inter & Lancastrensem domum dissensiones, Regisque potestatem circumscriptam, memorabilis est, sub Regibus octodecim.

(1) Normanni, id est viri Septentrionales, in Gallia, Anglia, Sicilia & Terra Sancta jus in armis gesserunt. (2) Rogerus Hovedenus: *Audax Francia Normannorum malitiam experta delitavit; ferox Anglia captiva succubuit; dives Arabia sortita restoruit; Hierosolyma famosa & insignis Antiochia se utraque supposuit,*

S. IV. Nova periodus ab Henrico **VII.** ad Georgium Ludovicum felicior fuit, extinctis Rosa alba & rubra factionibus, jugo Papali excusso, artibus & manufactis instauratis, & Scotiae conjunctione.

(1) Qui-

(1) Quibus legibus illa conjunctio fit facta; modo homogeneo, an heterogeneo? vid. Alb. Gentilem de Unione regnorum Britanniae. (2) Unionis leges de A. 1708. (3) An Scotiae conducatur? Thuan. lib. 131. ad A. 1604. *Res non citra altercationem tunc agitata, ad extremum Regis auctoritas tenuit, ut magna Britanniae nomen reciperetur, & unio regionum unius nominis appellatione sanciretur, neque deinceps necesse esset, in finibus praesidia alere, aut novis munitionibus ad hostium incursiones arcendas, limitem formare. Cui in eam rem nummi aurei & argentei, cum inscriptionibus: Quae Deus conjunxit, nemo separet, & Tueatur unita Deus, Angeloti & cusi cum hac inscriptione: Faciam eos in gentem unam: & aliud aurei nummi genus, quod haec verba calata habebat: Henricus Rosas, regna Jacobus.*

SECTION II.

De Finibus & natura regionis.

§. V. Insularum maxima & pulcherrima, in Orientem mari Germanico, in Occidentem Hibernico obtenditur; versus meridiem, mare Britannicum, *la Manche*, eam a Gallia dividit: Septentrionalia ejus vasto atque aperto mari pulsantur.

(1) Eustathius & Dionysius Periegetes *κατ' ἑξοχὴν* eam *μεγάλην*, vel *μαγίστην ἤσον* vocarunt, quod omnium insularum est maxima (2) Forma ejus an recte *natura triquetra* Caesari dicta, & scutulae

Scutulæ aut bipenni comparata, apud Tacit. Agric. c. 10. (3) Maris Britannici commoda & incommoda, ubi altissimum, & cur belluosus Oceanus Horatio dictum. (4) Terræ motus rariores, licet alibi *maritima maxime quatiantur*, Plin. 11. Hist. nat. 80. (5) Trajectus olim brevissimus inter Galliam & Britanniam. Cæsar lib. v. c. 13. *Alterum latus vergit ad Hispaniam & occidentem solem, qua ex parte est Hibernia, dimidio minor, ut existimatur, quam Britannia; sed pari spatio transmissus, atque ex Gallia, est in Britanniam.* (6) Quare Horatius *ultimos orbis Britannos* dixerit; Virgilius *divisos orbe Britannos*, Claudianus *nostro diducta Britannia mundo*.

§. VI. Flumina Angliæ nobiliora sunt: Thamesis, *Themse*; Trenta, *Trente*; Deva, *Dee*; Sabrina *Severne*. Scotiam Taus, *Tay*, dividit, cui Ituna, *Eden*, & Forthea, *Forth* accedunt. Hibernia Seno *Shennon*, & Barrojo, *Barrow* secatur.

(1) Thames a connubio fluminum *Tamæ* & *Isis*, prope Oxoniam dictus. (2) Camdenus in Gloucestershire: *Hic ille Isis, qui postea recepto Tamo, Tamisis composito vocabulo dicitur, fluminum Britannicorum regnator: de quo non immerito dicere liceat, & ferere Britanniam, & rigare; quod de Euphrate in Oriente dixerunt veteres.*

§. VII. Britannia urbes munitas paucissimas habet, quia ipso situ munita est, & portibus quam plurimis abundat; quorum nobiliores in Angliæ littore

littore sunt : *Sandwick, Duyns, Dover, Newcastle, Plymouth, Falmouth, Rochester, Cichester, Portsmouth, S. Helene, & Bristol.* Scotiæ *Dumbar S. Andrews, Dundee.* Hiberniæ *Dublin, Kynsale, Wexford &c.*

(1) Cicero IV. Att. ep. 16. *Britannici belli exitus spectatur; constat enim aditus insulæ esse munitos mirificis molibus.* (2) *Spectabili viro, littoris Saxonici Comiti in Britanniam,* in Notitia imperii memorato, similis est hodie *Quinque portuum Guardianus, te Lord Warden of the Cinque ports.* (3) *Singuli portus singularum nationum, in quos Hispani, Galli & Belgæ appellant.* (4) *Quinque armamentaria navalia.* (5) *De Pharis nocturno navium cursui ignes ostendentibus, graphice Barclaj. in Argenide.* (6) *Grot. lib. VII. Hist. ad A. 1598. Britannis Oceanus & classis sola regni munimenta sunt.* *Dux Somersethæ in epist. apud Sleidan. lib. 20. Hist. Oceano claudimur undique, tanquam moenibus, & valle firmissimo.*

§. VIII. Angliæ regnum dividitur in *Angliam* propriam, quæ etiam *Lægria* appellatur, & *Walliam*: illa rursus in septem provincias, ex *Heptarchia Saxonum* retentas; hæc, pariter ac *Scotia*, in septentrionalem & australem.

(1) *Septem Provinciæ; Cantium, Suffexia, Eastanglia, Westsexia, Northumbria, Estsexia, Mercia, ab Alvredo in comitatus divisæ, sive Sbyres, à Saxonico schieren, partiri;* (2) *Horum in Anglia sunt 39. in Wallia 13. ex partitione Hen-*

Henrici VIII. In Scotia 35. Hiberniæ olim pentarchia, hodie quatuor partes. (3) Comitatus in centurias *Hunderds*, hæ in decimas *Thittings* divisa, more Germanorum, Cæsar l. d. B. G. c. 12. Tacitus de M. G. c. 6. 21. & 39. Frene: *Centena*, ait, est pars comitatus aut regionis: nam singuli comitatus pagi, seu territoria & regiones dividebantur in *Centenas*, quibus præerant minores iudices, sub Comitum dispositione.

§. IX. Urbium præcipuæ sunt Eboracum, Cantuaria, Lincolnia, Cestria, Glocestria, Norvicum, Bristolium, Plimuthum, Oxonia, Salisbury, & præcipue Londinum, Britannia totius epitome, Regum Camera, & imperii sedes.

(1) Unde tot urbium nomina in *dunum* desinant, alia vero à *duro* incipiant, vide apud Buchanan. lib. 2. Rer. Scot. (2) Cur ingens villarum numerus in *Ham* desinat, docet Spelman in *Ham*. (3) Londini antiquitas, cognomen, splendor, magnitudo, templa, palatia, incendium, Prætor, Aldermanni, tribus, turris, pontis, bursa, &c. (4) *Westminster*, quasi occiduum monasterium. *Whitehall*, est aula alba. (5) Londinium jam Claudii ævo, copia negotiatorum & comæatuum maxime celebre fuisse, Tacitus scribit. xiv. Ann. 32. *Ducen- ta millia pannorum lanceorum una Antverpia quotannis hinc accepit*, Camdenus. (6) *Vetus oppidum*, vocat Ammianus, quod *Augustam* posteritas appellavit, lib. 27. c. 18. (7) An verisimile sit, quod Strabo scribit lib. 4. *Urbium loco Britannis nemora fuisse?*

§. X.

§. X. Situs est juxta ac cœlum felicissimum, mitissimum, & Gallico temperatius, æstate fervor nimius, hyeme frigorum asperitas abest: raro tamen aër serenus ubivis, sed caligine densa magnam diei partem obscurus, & uliginosus; minus vero in Scotia.

(1) Cæsar lib. v. de B. G. c. 12. *Loca sunt temperantiora, quam in Gallia, remissioribus frigoribus.* (2) Tacitus Agric. c. 12. *Cœlum crebris imbribus ac nebulis fœdum. Asperitas frigorum abest.* (3) Strabo lib. iv. pag. 200. *Aër apud eos imbribus magis, quam nivibus obnoxius: ac sereno etiam cœlo caligo quodam multum temporis obtinet, ita ut toto die non ultra tres aut quatuor horas conspici sol possit.* (4) Dies longissimus horarum est octodecim cum semisse: unde Juvenal. Sat. II. vi. 161.

— minima contentos nocte Britannos.

§. XI. Terra Anglicana culturæ est gratissima; arvis, pratis, pascuis & amœnis collibus distincta; patiens frugum, abundans carne, lana, caseo, equis, apibus, tritico & croco: deest viris, olea, ceteraque calidioribus terris oriri sueta.

(1) Causam ejus rei, & cur omnia cito proveniant, tarde mitescant, Tacitus Agric. c. 12. petit ex multo humore terrarum cœlique. (2) Bonitas lane, in Gloucester & Herfordshire, Romanis ignota. (3) Causa bonitatis ex Virgilio Georg. III. vi. 386. & Cardano lib. 1. de

subtil. (4) alia, quod oves vix bibunt, rore
 coelesti fere contenta. (5) tertia, quod agnis
 lac non subducitur. (6) Cur *vitis*, jam inde à
 Probi ætate huc allata, pro umbraculo magis,
 quam ad fructus. (7) An propter *socordiam in-*
colarum, ut Camdenus pag. 272. an propter
pascuorum utilitatem, ut Barclajus. Vide Scalig.
 Exerc. 200. (8) Fertilitas agri Somerssettenfis
 major, ex ignibus subterraneis, unde & thermæ
 Bathonienses. (9) Britannia Imperii occidenta-
 lis quondam horreum, teste Zosimo lib. 3. c. 5.
 & Eunapio in legat. (10) Laus ejus ex Eume-
 nii panegyri. cap. 9. fortunatas beatorum sedes
 hic collocantis.

§. XII. Montes stanno, plumbo &
 carbone fossili gravidi sunt, quo ligno-
 rum defectus sarcitur. Gignit & Ocea-
 nus Margaritas decolores, & Halecum
 ac ostrearum uberrimam capturam.
 Fluvii Salmonum piscatu nobiles sunt,
 apud Scotos; & Septentrionis incom-
 moda, aliorum copia compensat.

(1) Stannum Cornwalliæ, argento proxi-
 mum, vincit longe Japanicum, Bohemicum &
 Misnicum. De ejus abundantia jam olim Dio-
 dorus Siculus lib. v. c. 22. de *plumbo albo* Cæsar
 lib. 5. cap. 12. (2) Addit Tacitus d. cap. 12.
ferre aurum & argentum: at Cicero lib. vii. ad
 Fam. 7. *In Britannia nihil esse audio neque auri*
neque argenti. & iv. Att. 16. *Illud jam cognitum*
est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insu-
la. Sed Gyraldus suo tempore in Flintshire fru-
 ctuosum argenti scrutinium laudavit. (3) De mar-
 garitis, quas conchæ, coelesti rore gravidæ, pa-
 riunt,

riunt, Plinius lib. 1x. c. 35. *In Britannia parvos atque decoiores uniones nasci, certum est.* Adde Sueton. Cæs. c. 47. (4) Ferrum, in Sufflex & Darbeshire effossum, minus tenax. (5) Fodi-
næ cretarix jam olim celebres: NEGOTIATOR.
CRETARIUS. BRITANNICIANUS, apud Reines.
epist. 36. ad Rupert. (6) Camdenus de Yorks-
hire pag. 584. *Operæ pretium videatur notare uberrimam & questuosissimam halecum (seu Leu-
comenidarum, aut Chalcidum, si ita mavis) pis-
caturam Hollandos & Flandros exercere, cum ve-
niam prius, ex vetere instituto, ex hoc castro im-
petraverint. Veniam enim piscandi semper conces-
serunt Angli, honore sibi reservato, utilitate vero
exteris, quasi per desidiam, resignata.*

§. XIII. Ad singularia Angliæ por-
ro pertinet, quod canes præstantissi-
mos, at nullos lupos, nec ciconias,
ranas vero plerumque mutas habet: in
Scotia anatum seu anserum genus, *Ber-
nacles*, ex conchis aut arboribus vulgo
nasci perhibetur. Hibernia lupos alit:
sed nullum anguem, nec quicquam
venenatum.

(1) *Canes* a magnitudine, fide & robore lau-
dati, à Strabone, Claudiano, Oppiano. Vid. Joh.
Caji lib. de canibus Britann. Hinc *Procurator cy-
negii in Britannis*, in Notit. imp. (2) *Lupos*
deletos esse, ex quo Edgarus Rex Ludwalo,
Regi Wallensium, quotannis tributum 300. lu-
porum imposuit, auctor est Wilh. Malmesbu-
riensis lib. 2. c. 8. Sed post Edgarum lupos in
Anglia fuisse, ex legibus Henr. I. art. 90. colli-
gitur. Vide Camerar. horar. subseciv. l. 1. cap. 28.

Scaliger Exerc. 200. (3) De anseribus, quos *clakis* appellant, varie sentiunt Hector Boëtius in histor. Scotor. pag. 14. Alexander ab Alex. lib. iv. genial. dier. c. 9. Scaliger exerc. 59. alii- que. Ex ovis eos generari, Grotius epistol. 256. Salmasio consulenti respondit: *Illud tantum ad- dam; Anseres in Scotia conspici, credo & in Hi- berna, quos de arboribus in subjecta stagna deplue- re, persuasum accolis fuit, cum tamen eos ex ulti- mo Septentrione eo ferri prodiderint nostrorum, qui in Nova Zembla eos eorumque ortus ex ovis vide- re.* (4) De Hibernia, ab animalibus venenatis immuni, Solinus cap. 35.

§. XIV. Ad accessionem territorii pertinent insulæ, quæ Angliam & Scotiam cingunt, amœno prospectu: tum Jersey & Garnsey: item portus Gibraltar & porto Mahon; variæ dein- cept colonix in Americanam Terram novam, Virginiam, Jamaicam, Bar- bados, Christoffe, Novam Angliam & Scotiam, utet Pensilvaniam deductæ.

(1) De insulis Britannicis Camdenus; qui etiam pag. 745. inquit *terrarum ultima Thule, an Islandia sit, an una ex insulis Hitlandicis; à quo discedit Harduinus ad Plin. lib. iv. c. 16.* (2) De aquæstibus Americanis optimus liber, Anonymi *l'Amerique Angloise, sive Het Britan- nische Ryk in America*, ex Anglico sermone translatus, Amstel. 1721. (3) De Jamaicis fa- linis, & tabaco Virginiensi. (4) Cur in India Orientali & in Africa parum possideatur.

S E C T I O III.

De Civium moribus & bonis fortuna.

§. XV. Britannos veram Gallorum propaginem esse, è nomine, situ, religione, moribus & lingua probarunt eruditi: his vero Saxones, Dani, Normanni, Vandali, Frisii, Flandrique permisti, novam quasi gentem condidere.

(1) Diodorus Siculus lib. vi. c. 8. *αὐτοχθόνους* vocat. Etiam Cæsar lib. v. de B. G. c. 12. *Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt. Maritima pars ab iis, qui prædæ ac belli inferendi causa ex Belgio transferant &c.* Tacitus in Agric. c. xi. *Proximi Gallis, & similes sunt: seu durante originis vi; seu procurrentibus in diversa terris, positio cæli corporibus habitum dedit. In universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse, credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione. Sermo haud multum diversus, in deposcendis periculis eadem audacia &c.* (2) Eadem Cambdeni sententia in Britannia pag. 11. Buchanani *Rer. Scot.* lib. 2. pag. 69. & Vossii lib. 1. de orig. & progr. idol. c. 36. (3) Hinc quæ Virgilius *esseda Belgica* vocat, lib. 3. Georg. ea Propertius *Britanna* appellavit, l. 2. eleg. 1. & l. 4. el. 3. *pictoque Britannia curru.* (4) Sed de prisca non est cur simus solliciti, quia Normanni effecerunt, ut *Anglicum* vocari, esset opprobrium, teste Huntindon. lib. 6. & vere Mal-

mesbur. l. 2. c. 5. *Anglia exterorum habitatio est, & alienigenarum dominatio.*

§. XVI. Corporis habitudo est satis bona: inter frigidos & calidos medii: sexus femineus pulcherrimus: sunt agiles, longævi, nisi educatio & victus intercedat, aut sudor Anglicus, scorbutum, quartana, phthisive eos e medio tollat.

(1) De antiquis Strabo lib. iv. pag. 200. *Viri Gallos proceritate superant, minusque flavos habent crines: laxioribus autem sunt corporibus: magnitudinis argumentum esto, quod nos ipsi adolescentes Romæ vidimus, qui etiam semisse pedis superarent altissimos homines: erant autem pedibus male suffulti, & reliqua corporis lineamenta constitutionem non elegantem referebant.* (2) Inter sex excellentiora est sexus foemineus, secundum versic. *Anglia, Mons, Pons, Fons, Ecclesia, Femina, Lana.* (3) Cur Britanni 123. annos perdurarint, tempore Plutarchi, & hodie complura sint macrobiorum exempla, præsertim in Scotia.

(4) Pectis, olim frequentior, cessavit ab A. 1666. nec adeo frequens lepra, ex Ægypto huc delata.

(5) A. 1486. sub Henr. VII. VIII. & Eduardo V l. sudor Anglicus, *the sweating sickness* invaluit, de cujus causa Verulamius in Henr. VII. Thuanus lib. vi. & Bayle in *Ammonius*.

(6) Infantum morbus communis, *Rickets*, unde. (7) Dysenteria & ventris profluvium Hibernos afficit, ob humida nutrimenta, cui potu d'Usquebaugh medentur. *Advenarum unam passionem & unicam vexationem* Giraldus appellat, Topogr. Hibern. l. i. c. 25.

§. XVII.

§. XVII. Temperamentum varie variarum nationum concursu mixtum est. Anglorum plerique sunt melancholico-sanguinei, ad belli pacisque munia idonei: nautæ audacissimi, & mortis contemtores. In vulgo aliqua- lis notatur tumor, & nimia admiratio sui, inconstantia, iracundia, crudelitas, superstitio, & ingenium suspicionibus indulgens.

(1) Cæsar lib. iv. c. 14. *Humanissimi, qui Cantium incolunt: quæ regio est maritima omnis; neque multum à Gallica differunt consuetudine.*

(2) Mores Britannorum Gallicis similes fuisse, ostendit Camdenus in Britannia. (3) Cur Aufonius Brittones malos vocet epigr. 110. & nemo bonus Britto est ep. 112.

(4) Spontanea regionis fertilitas & colluvies convenarum, causa vitiorum vulgi. (5) An recte Bodinus lib. v. de Rep. c.

1. eos, phrasi Enniana, *magis bellipotentis, quam sapientipotentis* dixit? & Saavedra symb. polit. 81.

Angli graves sunt ac severi, sibi metipsis placentes, gloriose mortis adeunt pericula, etsi interdum impetu aliquo feroci & temerario ferantur potius, quam electione.

Qua terra, qua mari fortes ac validi milites, si longo usu armis assueverint.

(6) Comparatio Gallicæ nationis cum Britannica, apud Cominæum lib. III. c. 8. *Nunquam Galli cum Anglis tractarunt quippiam, quin illorum sagacitas horum conatus superaret.*

Unde & penes Anglos dictum hoc vulgo usurpatur, quod mihi ab ipsismet recensitum est, iis conversanti: quod quoties ad prælia conflictusque res

*venerit, vel semper, vel raro non victoria fuerit ab eorum parte, cum vero tractando negotia fuerint expediunda, damnum & poenitentiam ipsos secuta. (7) De proverbio Anglica gens est optima flens, sed pessima ridens. (8) Fructus melancholice est amor tragœdiarum, proventus Quakerorum & adroxiopia, quam Joh. Donne, in tract. *Blasphemia* licitam esse, defendit. Lond. 1664. (9) Nimis crude Scaliger in *Scalig. Angli plerique sunt fanatici, tales multos novi.* Schurzfl. t. 1. ep. 266. *Habent Itali pleraque cum Anglis communia, præsertim si animorum latebras abditosque recessus considero.**

§. XVIII. Scotorum major constantia, fides & temperantia celebratur; vindictæ autem cupidi sunt supra modum: plebs factiosa, & minus ad laborem, quam ad ambitionem proclivis: sed cautio est, ne ex hac totam gentem æstimemus.

(1) Scoti montani, qui *Hicclanders* dicuntur, asperi; campestris, *Louwlanders*, molliores. (2) Propter fidem inter custodes primos Regum Franciæ, a quibus & tota natio naturalisata, teste Lesle lib. x. de Reb. gest. Scot. pag. 494. (3) De odio immortali familiarum, a Jacobo pacato, Barclajus Icon. anim. cap. 4. (4) Saavedra symb. 81. *Scoti constantes & Regibus suis fideles, cum in hanc usque ætatem, per secula viginti Coronam in una familia conservaverint. Irarum & vindictæ tribunal aliud nullum, quam gladium agnoscunt.* (5) Lucanus lib. 8. *Pharf. Omnis in Arctois populus quicumque pruinis nascitur, indomitus bellis, & Martis amator.*

Quis

*Quicquid ad Eos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia coeli.*

§. XIX. Hiberni silvestres, in oris extremis habitantes, inertiam, ebrietatem, & superstitionem supra omnia amant: Optimates vero & urbium incolæ, humaniores Anglorum & Scotorum mores induerunt: sunt bellicosi, ingeniosi, præsertim qui oras peregrinas salutarunt.

(1) Mores Hibernorum antiquorum Strabo, Mela & Solinus, mediõrum Giraldus, recentiorum Camdenus, sed hic forsitan nimis acerbe, descripserunt. (2) Adagium: *Raso Hiberno bono non posse inveniri meliorem, nec malo pejorem.* (3) Saavedra Symb. 81. *Hiberni laborum sunt tolerantes. Artes aspernantur; nobilitatem suam superbe jactitant.* Vide Verulamii Cogitata de coloniis in Hiberniam deducendis, Opp. pag. 1375.

§. XX. Britannis antiquis eadem, quæ Gallis, lingua fuit: at superventu Saxonum Teutonice est propagata: Normanni Francicam intulerunt; ex quibus, Cambricæ & Latinæ mixtis, nova lingua enata est.

(1) Strabo lib. iv. docet, eadem lingua Britannos cum Gallis usos, sed paululum dialecto variata. Tacit. Agric. c. xi *sermo haud multum diversus à Gallico.* (2) Vestigia Gallici sermonis Camdenus, Saxonici du Frene indice Glossarii 44. indicarunt, & Lipsius cent. 3. ad Belgas

epist. 44. (3) Pro illius usu majore stat Cujacius ad lib. 1. Feud. tit. 1. Britones priscam linguam Gallicam retinuisse; simul Britannos, siue Anglos montanos, quos Walos appellant: nec enim fuit eadem prorsus cum Germanica. (4) Contra Thuanus lib. 11. Hist. pr. Anglicam linguam, quæ hodie est, & Scoticam Teutonicæ esse dialectos, quis neget? uti a Saxonibus nomen, ita & linguam, mutatos esse, vero fit simile. (5) Pronunciatio Anglorum magis diversa est à scriptione, quam in ulla linguarum totius Europæ. (6) Alia difficultas ex accentibus. De Pequeny loco Pepigny, v. Merula p. 2. lib. 3. c. 20. (7) Scaliger epist. 362. Anglorum doctissimi tam prave Latina efferunt, ut in hac urbe, quum quidam ex ea gente, per quadrantem horæ integrum, apud me verba fecisset, neque ego magis eum intelligerem, quam si Turcice locutus fuisset, hominem rogaverim, ut excusatum me haberet, quod Anglice non bene intelligerem. Ille, qui eum ad me deduxerat, tantum cachinnum sustulit, ut mea non minus interfuerit pudere, quam ipsius ridere.

§. XXI. Studia litterarum, mature a Romanis huc delata, Oxoniæ, Cantabrigii & Edenburgi feliciter nunc excoluntur, instauratis Collegiis, Bibliothecis & subsidiis omne genus amplissimis, quibus binæ illæ Christiani Orbis Academies superant omnes.

(1) Tacit. Agric. c. 21. Jam vero Principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanorum abnuebant, eloquentiam concupiscerent. (2) Utriusque Academiæ Anglicanæ

canæ Professores, collegia, theatra, musæa, horti, privilegia, Baccalaurei, Magistri artium; & quomodo Serviens differat à Doctore. (3) De Bibliothecis Londinensibus, Bodlejana, Cottoniana, &c. (4) De theatro Scheldoniano, Gilberti Scheldoni AEp. sumtibus A. 1669. exstructo; vid. Ant. a Wood p. 12. Hist. Acad. Oxon. p. 26. (5) Societatis regiae auctor Baco de Verulamio: ejus fata Thomas Sprats, *History of the Royal Society* descripsit: Acta Henr. Oldenburgicus edidit.

§. XXII. Ingeniorum fertilitas in Theologia, Linguis, Historia, Mathematicis, Philosophia experimentalis, astrorum scientiis, ceterisque naturæ arcanis rimandis, semper magna fuit; & hodie illustribus viris abundat; qui scriptis quidem paucis, sed cum cura editis, sibi gloriam immortalem, exteris incrementa litterarum pepererunt, non pœnitenda.

(1) In *Theologicis* Alcuinus, Beda, Wiclefus, Ligtfootus, Jewel, Morus, Chichele, Waynfletus, Polus, Gattakerus, Spencerus, Withby, Hammondus noti. Auctor de fundat. quar. Sax. Eccl. ad A. 793. p. 261. *Alkwinus, instructor Caroli M. Anglicus genere, studium de Roma Parisios in Franciam transtulit, auctoritate Caroli.* (2) In *Iuridicis* Cofins, Cowel, Lindwood, Bracton, Littleton, Coke, Cragius & Seldenus, *Honos Britannia* à Grotio dictus. (3) In *Historia* Ufferius, Camdenus, Buchananus, Marshamus, Baco, Burnetus, Dodwellus, Prideaux. (4) In

(4) In *Philosophicis* Hobbesius, Lockius & Newtonus. (5) In *Humanioribus* Spelmannus, Potterus, Barnesius, Bentlejus (6) In *Poesi* Owenus, Sidney, Daniel, Drayton, Fletcher, Johnson &c. (7) De scriptoribus Britannicis Lelandus & Pitseus, de Hibernicis Waræus conferendi. (8) Differatur de stilo, parenthesisibus, majore cultura linguarum Orientalium & Græcæ, quam Latinæ. (9) *Pauci sunt, qui Latine hic loquuntur*, Londino scribebat Schurzfl. t. 1. ep. 38. Idem epist. 194. *Angli sibi indulgent, & vernaculam frequentius adhibent, tædio linguæ peregrinæ & multo studio laboreque comparandæ. Paucos vidi Anglos, qui Latine sciant, qui pure scribant, qui scite componant, sed Græcam linguam exacte callent, & rationes formasque omnes exquisite norunt. Usu meo didici, & miratus sum morem.*

§. XXIII. Ager omni semini aptus studiosissime colitur: vini defectum Cereris vis *Ale* refarcit: In pratis boves pinguisissimi, in tenuibus montium herbulis numerosi ovium greges errant; quos nec hiemis rigor in ovilia cogit, nec lupo infestat.

(1) Rei pastoritiæ incrementa ab Henr. VII. temporibus; inde cibus, corium, vellera, teluris munus. (2) Nimiam rei pastoritiæ studium agriculturæ noxium, tempore Henrici VIII. v. Polyd. Virg. 27. Hist. (3) Camdenus in Huntingdonshire: *Non est aliud in Anglia oppidum, quod plures habeat strenuos colonos, & plura exercent aratra, quam Gormontheffer: Reges enim Angliæ hac itinerantes olim 180. aratris, rusticæ*

stica quadam pompa eductis, se excepisse gloriatur. Certe inter nostrates vitam rusticam (quam sapientiæ consanguineam vocat Columella) studiosissime colunt; sive rei prudentiam, sive impendendi facultatem, agendique voluntatem respicias.

§. XXIV. Ante Eduardum III. nulla adhucdum commercia fuerunt, sed postquam is Flandros præmiis allexit, qui lanificia tractarent, & Elisabetha afflictis ab Albano Belgis civitatem obtulit, Jacobus I. quoque omnis generis opifices in Scotiam excivit, artificia floruerunt, crevitque regni majestas.

(1) Res pannaria, inter columnina regni. (2) Antea lana rudis Brugas Flandriæ vehebatur, cujus illa vellus aureum fuit. (3) Thuanus lib. 44. ad A. 1569. Britannia proxima opificibus per fugium fuit, quo exules secum pauperum texturam intulerunt, & eam Anglos, antea agriculturæ & pecuariæ solum deditos, magna Belgici opificii jactura docuerunt, tantoque numero in Insulam influxerunt, ut urbes aliquot infrequentes ac pene desolatas, Norvicam præcipue, Colchestram, Maistonium, Sandwicham, Hamptonum, & alias instaurarint. (4) Terræ fullonicæ bonitas singularis. (5) Horologia, machinæ, allaque magni ingenii opera mathematica, ex vi animorum imaginativa. (6) Cur Scoti tardiores ad opificia; Hiberni ea nobilitati officere putent.

§. XXV. Commerciis opportuna est civitas maritima, fluminibus intercila,

cisa, portubusque munita; ex quibus dotes suas naturales, & mille manufacta in omnes orbis angulos transmittit, cumque illis, quæ defunt, facile permutat.

(1) Transmittit stannum, plumbum, carbones, alumen, carnes piscesque salitos, pileos, pannos, milleque alia domi nata, facta, vel ex coloniis petita, & (2) cum illis, quæ deficiunt, ut vino, sale, linteis, charta, ligno, ficibus &c. a Gallis, Lusitanis, Batavis & Germanis permutat. (3) Vide de his Savary *Parfait negotiant* p. 2. l. 2. c. 2. & *Diction. de commerce* pag. 948. (4) De commercio Anglorum cum Gallis, olim damnofo, Schroeders *Fürstl. Schatzk. cap. 37.* (5) De Hiberniæ commerciis Temple adeundus.

§. XXVI. Nulla gens Societatibus magis abundat mercatorum, quæ ad utrosque Indos, ad Australe, Mediterraneum, Africumque mare comeant, & *East-Indy, West-Indy, South-Sea, African-Company*, ut & *The Turkey & Hamborough Merchants* appellantur.

(1) Initia primæ societatis audaculorum, *avantiuriers*, sub Eduardo I. (2) *Moscovitiæ* sub Eduardo VI. *Hamburgensis* A. 1406. *Septentrionalis* A. 1579. *Orientalis* veteris, cum nova nunc conjunctæ, A. 1599. *Africanæ* A. 1661. *Australis*, per commercium mancipiorum, quod *Assiento* vocatur, adjunctæ A. 1713. (3) *Differantur de Consulibus, & Collegio Commerciorum. In-*
su-

surance Office, Mercers Company &c. (4) De Banco Regio Londinensi, vid. Mercure historique tom. 16. pag. 659. & tom. 17. p. 102.

§. XXVII. Nobilitatis magnus est honor: Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones καὶ ἑξοχὴν Nobiles sunt, *Nobility*, & *Lords*, id est domini, vocantur, Reliqui minores, ut Equites aurati. Baronetti, armigeri, Generosi & gentiles homines, *the Gentry* dicuntur, & a tertio ordine populi, *the Commons*, sunt distincti.

(1) Nobilitatis majoris investituram, privilegia vestitum &c. in singulis regnis Seldenus de tit. hon. p. 2. c. 5. 6. 7. familias Imhof in Genealog. Brit. descripsit. (2) Eorum comparatio cum Principibus Germaniæ, & Grandibus Hispaniæ, quousque procedat. (3) Aliorum dignitas hereditaria, aliorum personalis. (4) *Lord* à Saxon. *Laford*, id est dominus. (5) De collegio heraldico Spelman gloss. voce *Heraldi*. Idem in *Adelungi*, *Baro*, *Baronettus* antiquus & novus.

§. XXVIII. Equitum apud Anglos ordo est Garterii seu Periscelidis, cui olim Equites balnei accedebant. Apud Scotos ordo S. Andreæ, ab Anna regina restitutus est.

(1) Occasionem & tempus institutionis Ordinis Periscelidis, A. 1350. sub Eduardo III. optime descripsit Elias Asmohle, of *the institution, laws*

laws and ceremonies, of the most noble order of de Garter. (2) Ejus & regni Patronus, Georgius, an vere Sanctus, an Arianus, Vide Voetium de Sanctis chimericis & Mabillon de Sanctis ignotis. (3) Leges & statuta Ordinis reformata & declarata ab Henr. VIII. apud Leibnit. Cod. diplom. p. 2. pag. 1. & 7. (4) Andreas Apostolus Scotorum Deus tutelariorum, David Cambrorum.

§. XXIX. Feuda, Saxonum ævo, ne audita quidem; at Gulielmus Conquæstor totam Angliam, ex lege Normannorum, commilitonibus suis divisit. Scoti citius illud se jugum accepisse ferunt, sed leges, Macolmo II. adscriptæ, tantam antiquitatem non loquuntur.

(1) Vasalli usque ad annum 21. sunt in custodia Regum, homagium faciunt, & focagium præstant: maritantur per Dominum: relevant terram: primogenitus succedit in totum. (2) Vid. Spelman. Gloss. voce *Sokemanria* & *Warda*. Frene in *Custodia* & *disparagare*.

§. XXX. Toto terrarum orbe vix est plebs pronior in partes, factiones & studium rerum novarum: quamobrem toties arma civilia, conspirationes & tumultus, in sui ipsius perniciem, moverunt.

(1) Olim ex bellis mage, quam ex naturali odio, invaluit, testimonium Scoti in Angliam, aut Angli in Scotiam non esse admittendum, aucto-

auctore Camdeno ad A. 1571. (2) Bellum civile, inter Rosam albam & rubram, Blondus Italica, Rosemundus Gallica lingua descripsit, in *Histoire des guerres civiles*. (3) De conjuratione sulphurea, in cujus memoriam festum die 5. Nov. quotannis celebratur, Camdenus, Barclajus, Grotius lib. xiv. Hist. fin. ipseque Rex Jacobus operum n. 6. (4) De reliquis P. d'Orleans *Histoire des Revolutions d'Angleterre, depuis le commencement de la Monarchie*. (5) Unde nomina *Whiggs & Torys* sunt enata, & quinam hodie illis designentur. Vid. Rapini dissertation *sur les Whiggs & les Torys*. (6) An expediat Britannia esse factiones, confer *Memoires de Clarendon, & les fautes aux deux cotés*.

SECTIO IV.

De Statu Ecclesiastico.

§. XXXI. Religio Christiana, in prima sui infantia, Insulae huic alluxit; sed Constantinus Ecclesiam vere instauravit; Henricus VIII. à jugo Papali, Elisabetha à superstitionum nebulis purgavit, ejusque supremus defensor & Caput Rex est.

(1) An Josephus Arimathæus, Petrus & Paulus Evangelium his nunciaverint, vide Stillingfleet origines Britannicas, & Ufferii primordia Eccl. Britann. (2) Plane sec. II. auspiciis Lucii regis, illud jam radices egisse videtur; seculo III. Albanus primus martyr, & Helena Christiana.

stiana; de qua Baron. Annal. ad A. 315. (3) Scotiis Monachis Fulda Germaniæ & S. Galus Helvetiæ originem debent. (4) Cur Henr. VIII. neque Lutheri neque Zwinglii doctrinam adoptarit. (5) Qualem formulam Elisabeta constituerit, confessione fidei, articulis 39. comprehensa. Vide Burneti Histor. reformat. & Etat present d'Angl. t. 1. p. 247. (6) Angliæ Rex caput Ecclesiæ à Christo proximum est, cum limitata potestate legum condendarum. (7) Fata religionis & status ecclesiastici, in fine singulorum librorum dedit Rapinus, usque ad tempus reformationis.

§. XXXII. Ecclesia, non uno scismate, in *Episcopalium & Puritanorum* sectas abiit, a quibus discreti *Independentes* tertium genus constituunt, in varias familias minores subdivisi.

(1) Discrimina Episcopalium, Presbyterianorum, Nonconformistarum, Independentium, & Quakerorum, unde enata. V. Horn. Hist. Eccl. art. III. & characteres eorum apud Burnetum memoirs t. 1. p. 548. & t. 3. p. 182. (2) In Anglia & Hibernia Episcopales, in Scotia Presbyteriani dominantur. (3) Lepida narratio Barclaji Icon. anim. c. 4. (4) Judæi A. 1290. ejecti, à Cromwello iterum admissi. (5) Ammonius 1. 8. ep. 8. inter Erasimianas pag. 410. de temporibus Henrici VIII. hyperbolice: *Lignorum pretium auctum esse non miror, multi quotidie heretici holocaustum nobis præbent: plures tamen succrescunt. Quia & frater germanus mei Thomæ, stipes verius, quam homo, sectam (si Deus placet) instituit, & discipulos habet.*

§. XXXIII.

§. XXXIII. Cleri, pariter ac Lai-
corum, ordo est triplex: Episcopalis,
Cleri titulati, & Cleri inferioris. An-
glia duo Archiepiscopi: Cantuariensis,
Primas totius regni, & Eboracensis,
Primas Angliæ: illi Episcopi xxii.
huic iv. subsunt. Hibernia iv. A. Ep.
& xix. Episcopos numerat: Scotia nul-
los agnoscere voluit.

(1) AEp. Cantuariensis *Dei gratia* vocatus a
Rege, quem coronat: sicut Eboracensis Regi-
nam. (2) Est Parium regni primus. (3) De
auctoritate, dignitate & judiciis Episcoporum.
(4) de Decimis Seldeni dissertatio, à Cl. Cleri-
co Latine Comment. ad Pentateuchum adjun-
cta. (5) Ejus fata, & Grotii ea de re judicium
H. T. de J. B. & P. c. ii. fin. (6) Cyprianus ep.
66. *Decima jure quidem Mosaico debebantur, mi-
nime autem jure Christiano.*

§. XXXIV. Angliæ Reges Pontifi-
cis Romani vasalli & ærarii fuerunt, &
populus ab ejus emissariis per tributum
S. Petri emunctus; donec Henricus
VIII. A. MDXXXIV. ejus religionem &
servitutem excussit, maximo gentis
bono.

(1) Denarium S. Petri, qui & *Eleemosyna* Pe-
tri, *Romescot* & *Peterpence* dicebatur, Inas Rex
instituit A. 727. firmavit Offa A. 760. & Elhe-
lolphus A. 840. (2) Hacpropter Innoc. IV.
Hortus, agebat, *deliciarum Papis fuit Anglia*, &
putens

puteus inexhaustus. (3) Instrumentum quo Joannes Rex A. C. 1213. *fidelitatem domino Pape, tanquam feudatarius, juravit, & homagium fecit*, est apud Matth. Paris. ad dict. annum. Acta integra dedit Rimer. t. 1. pag. 166. seqq. (4) Henrico VIII. iniquiores Sanderus & Varilafius, à Burneto in Hist. ref. reprehensi. (5) Bona animi & corporis, Reformationi imputanda, graphice Casaubonus explicavit, in dedicatione ad Annales Baronii, ad Jacobum Regem.

SECTION V.

De Administratione summi Imperii.

§. XXXV. Augustum regni concilium, quod Parlamentum appellatur, est solennis conventus trium Ordinum regni, auctoritate Regis, ad consulendum statuendumque de negotiis regni indictus.

(1) Tacit. Agric. c. 12. de Britannis: *Olim Regibus parebant, nunc per principes factionibus, & studiis trabuntur: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt.* (2) De *Wittenagemot* Anglo-Saxonum, seu conventu Sapientum, *Thanes*, vide Rapin. Hist. d'Anglet. tom. 1. pag. 474. seqq. (3) Initia Parlamenti hodierni à Gulielmo Conquæstore; formam dedit Joannes sine terra, (4) Series utriusque interrupta inde ab Eduardo I. Auctoritas crevit sub Jacobo I. Communiarum maxime sub Cromwello. Vid. Will. Peyt.

Petyt *Jus antiquum Communium Angliæ assertum.*
 (6) An prudenter populus admiffus, vid. Effai
 fur le govern. c. 14 (7) Differt a Parlamen-
 to Gallicano, & comitiis Germanorum. (8) Vo-
 cabula huc pertinentia *Spreaker, committé, bill,*
prorogare, adjournare, dissolvere.

§. XXXVI. Leges Anglorum a Saxo-
 nibus maxime, minus a Danis & Nor-
 mannis manarunt, quas varia Regum
 exceperunt statuta, in comitiis condita.
 Juris Romani in Scotia major est usus,
 quando silent consuetudines & conven-
 tuum decreta.

(1) Leges Anglorum primus in scripturam
 redegit Ethelredus Cantii Rex, tum Inas, Offa,
 Eduardus 111. & denique Wilhelmus Nothus &
 Henr. 1. (2) Lex Anglorum singularis, con-
 traria l. 6. D. de *His qui sui vel al. de marito,*
 intra quatuor maria manente. (3) Juri Roma-
 no in quibus judiciis fit locus, Vid. Arthur.
 Duck de auct. jur. civ. l. 2. c. 8. 9. 10. (4) Se-
 verus l. 1. C. de *Rei vind.* Eboraci dedit, ibique
 obiit. (5) Lex Scotorum de *Marcheto*, a
 Malcolmo 4. sublata. (6) Quid fit *Habeas cor-
 pus* &c.

§. XXXVII. Inter tribunalia tem-
 poralia eminent Bancus Regius, in quo
 criminalia, velut coram Rege, tractan-
 tur; tum Curia Cameræ stellatæ, Ban-
 cus communis, Scaccarium, Curia
 Wardorum, Admiralli, Assisæ & Ju-
 rata: in provinciis *Circuit.*

(1) Duplex iudiciorum species, altera per *Affisam*, altera per *Furatam*. (2) Cur quaestio regulariter non adhibeatur, vide Smith de Rep. Angl. l. 2. c. 27. (3) Quomodo crimina, *high treason*, *petty treason* & *felony* plectantur. (4) Iudicia peregrinorum laudata. (5) De advocatis Juvenal. Satyr. xv. *Gallia caustidicos docuit facunda Britannos*. (6) Thuan lib. 49. ad A. 1572. *Mos est apud Anglos, cum de capite civis deliberatur, ut iudices in secretum locum secedant, ubi sine cibo, potu, igne, candela maneant, interdieto etiam omni colloquio, nisi cum testibus contra reum productis, donec de sententia contra reum pronuntianda inter eos convenerit.*

§. XXXVIII. Inter regni Magistratus quondam fuit Comes Palatii, & Justitiarius capitalis, qui & Regis absentis vices gerebat: hodie, abrogata horum auctoritate, Magistratus urbium & Scabini *Aldermanni* vocantur

(1) De Comite Palatii locus notabilis Matthei Paris. A. 1236. *Comite Cestriae gladium S. Edwardi, qui Kurtein dicitur, ante Regem bajulante, in signum, quod Comes est Palatii, & Regem, si aberret, habeat de jure potestatem cohibendi: suo sibi, scilicet Cestrensi Constabulario ministrante, & virga populum, cum se inordinate ingereret, submovente.* (2) Catalogum Justitiariorum, sub Regibus Normannicis, Spelmanus contexit. (3) Dignitas Lord Major Londini & Eboraci. (4) *Husdingum* Curia Londinensis suprema, ab *hus* domus, & *ding* lis. (5) LL. Edwardi Confessoris c. 35. *Apud Anglos antiquitus vocabantur Ealdormen, quasi Seniores;*

niores ; non propter senectutem , sed propter sapientiam & dignitatem.

§. XXXIX. Federum, belli & legationum jus Rex solus habet ; sed haud insigni effectu ; quia tributa extraordinem exigere nequit ; in quibus rerum gerendarum nervus.

(1) Federa, legationes, conventiones & tractatus, quos Reges Angliæ, ab A. mci. ad MDCXXV. cum Imp. Regibus & Pontificibus celebrarunt, digessit Thomas Rymerus, Historiographus Regius, XVII. voll. (2) Opus hoc pretiosissimum, cujus 200. tantum exemplaria, regis sumptibus, typis sunt exscripta, ex tabulis turre Londinensis & ex bibliotheca Cottoniana est depromptum, Halifaxio urgente. (3) Inchoavit A. 1704. obiit 1714. ex quo Robertus Sanderson duos posteriores tomos edidit. (4) Elogium operis vide apud Leibnit. præfat. Mantissæ Codicis in fin. (5) Summam dedit Clericus in bibliothecæ choisie t. XVI. seq. Potiora inseruntur Corpori diplomatico Gallico.

§. XL. Ærarium Britannia ante Elizabetham non adeo refertum erat, quum lana evehebatur, & pannus aliunde carius emendus : hodie vero ex tributis agrorum & ædium, metallis, & vectigalibus portuum, *Tonnage & Puntage* locupletissimum habetur.

(1) Tacitus Agric. c. 13. *Ipsi Britanni delatum ac tributa & injuncta imperii munera impigre obeunt, si injuriæ absint : has ægre tolerant.*

(2) De tributis per dioecesin Britanniarum a Romanis

manis exactis l. 2. *C. Th. de Exact.* (3) Fructus commerciorum hodiernos Dr. Davenant curioso libello excussit, & ostendit A. 1688. reditus a sex myriadibus librarum sterling. ad quatuordecim myriadas excrevisse. (4) Bodinus lib. VI. de Rep. c. 2. *Cum in Angliam legationis causa profecti fuissimus, populi conventus summa cum voluptate spectavimus; tributi nomine quingentes sestertium pro sumtibus Reip. necessariis oblatum à populo fuisse, Reginam tamen dimidiam pecunie summam recusasse, ac populo gratias egisse.* (5) Saavedra Symb. polit. 67. *Nulla tributa minus noxia, quam quæ advectis mercibus imponuntur in portibus: ea enim magnam partem pendunt exteri. Quare prudentissime in iis constituti sunt reditus Regii in Anglia, ipso Regno immuni relicto.*

§. XLI. Omnis nummus aureus & argenteus, olim in turri Londinensi cudebatur, ex decreto Elisabethæ; nunc aliæ stationes accessere. Carolus II. stationem monetariam permutatoriam instituit. Moneta est proba, nec extra regnum eam deportare licet.

(1) Esterlingus non à *starling*, sturno; nec à Scotiæ urbe *Stryvelin*; neque à Saxon. *Steere* regula, ut Brady conjecit; nec à castro *starlin*; neque à *starre*, stella; sed à Normannis, aut Flandris flatoribus, velut moneta Esterlingorum, id est Ost-Saxonum dictus. (2) Stationes monetariæ minores quinque, A. 1696. institutæ.

§. XLII. Militaris gloria in castris &

& navibus summa est, ob Martium populi spiritum, stipendia prompta & Ducum peritiam: in acie, quam in obsidione sunt fortiores.

(1) Numerus militum terrestrium tempore belli ad 80000. accedit, quorum pars vix dimidia extra regnum duci potest; maritima militia 40000. aestimatur. (2) Dictum Mauriti Principis, de necessitate panis triticei & carnis bubulæ. (3) Natura equorum Britannicorum, & an in equitatu plus roboris, sicut in pedite, Taciti ævo. (4) Armamentaria Londini, Portsmouthi, Plumuti & Vindeforii. (5) Duces Marlboroughius, Ormondus, Stanhope &c.

§. XLIII. Navalis potentia modica fuit, ante Henricum VII. quamdiu naves aliunde coëmebantur: crevit sub Elifabetha: tandem maximis par, & navium bellicarum numero superior esse coepit.

(1) Britanniae dominos esse, qui mare teneant, ajunt Angli apud Grot. lib. 13. Hist. Belg. ad A. 1604. (2) Romanorum classis Britannica in l. 46. ad Scit. Treb. & Gruter. inscript. pag. 493. (3) Dominium maris circumambientis an recte a Seldeno defensum, a Grotio impugnatum sit, vide Ampl. Bynkershoekii dissert. de dominio maris. (4) Demissio aplustrium antiqua, v. Lips. lib. 1. Elect. c. 23. (5) Admiraliorum magnorum origo, natura, jus, apud Seldenum mar. claus. l. 2. c. 18. series apud Spelmannum in Gloss. v. *Admiralibus*. (6) Franc. Drack, Forbissierius, Pembrockius, Leacke, Norrissius,

Bingius, Camarthenus, alique recentiores Admiralli; alii Vice- & Contra-Admiralli, sive *Schout by nacht*. (7) Vela rubra, cœrulea, alba, *Escadres*.

S E C T I O VI.

De Forma Reip.

§. XLIV. Olim in multos dominos divisa, sub Egberto A. DCCC. Monarchia facta est. Wilhelmus Conquæstor, gladio omnia premens, A. MLXVI: absolutum imperium constituit; Johannes sine terra A. MCCXV. per *Magnam chartam* de eo remisit: Henricus VIII. id recuperavit; sub Jacobo I. & seqq. forma dissimularis, & mixta firmata est, ut Rex consensu Optimatum & populi floreat, hi sine Regis consensu nil possint.

(1) Jam in Heptarchia Saxonum semper tuius potentioris auctoritas prævaluit, ne tamen patrimonii jure aut herili quadam ratione æstimeretur. (2) Absolutæ Monarchiæ antiquæ testes Bracton. lib. 1. c. 8. 1. 2. c. 7. & Glanvilla 1. 7. c. 10. (3) *Magna charta*, augustissimum Anglicanæ libertatis diploma, devotione carminis horrendi sancita, sub Henrico III. teste Bakero, in ejus vita. Vide eam apud Rapin. tom. 11. lib. 8. pag. 344. (4) *Judicium de Sidneji discours sur le gouvernement*; & de la Mothe-Fenelon *Essai*

Essai sur le gouvernement civil c. 14. (5) Schurtzfl. disp. 34. §. 26. Hoc regnum, non ex communi regnorum conditione, sed ex suis legibus moribusque æstimandum est, in quo Reges, ab ipsis etiam regni incunabilis potestatem non amplam, eamque pactis adstrictam & arctissime circumscriptam habuerunt: quæ sane ejusmodi semper fuit, ut omne pondus a suffragio Ordinum acciperet, quorum potestas in regno, non turbato ejus statu, prevailuit.

§. XLV Rex ergo à suprema potestate instructus, Remp. administrat secundum leges, de bello & pace decernit, convocat & dissolvit Parlamentum, creat nobiles & Episcopos; munera publica dispensat, dat veniam delictis; cudit monetam; tutelam gerit vasallorum, aliaque regalia majora & minora exercet.

(1) An Rex, præter Deum, superiorem non agnoscat, vel, ut Carolus I. in publicis orationibus ajebat: *Nulli, præterquam Deo, ad reddendas factorum rationes teneatur: hoc omnes sapientes docuisse, hoc regium jus à Samuele descriptum ostendere.* (2) Differatur de scriptis huc pertinentibus, Parei *comm. in epist. ad Romanos*, Buchananii *de jure regni apud Scotos*, Barclaji *contra Monarchomachos*, Miltonis *defensione pro populo Anglicano*, Salmasii *defens. regia.* (3) Judicium de utroque Boecleri in Museo & Schurtzfl. diff. 44. §. 8. (4) Commendetur Grotii doctrina lib. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 8. c. 4. §. 13. *Essai du gouvernement civil. c. 14. & Zingleri exercitatio de Regicidio Anglorum.*

§. XLVI. Ne vero Rex hac potestate, prætextu publicæ utilitatis, abutatur, ad *Leges* condendas *Optimatum* & *populi concilia* concurrunt; quæ & *jus habent negandi Tributa*, reos lege postulandi, rationes poscendi a malis &c. in quibus *libertas nationis felicitis* consistit.

(1) Carolus II. in declaratione publica, apud Kennets *History of England.*: *In regno Angliæ leges simul à Rege, Optimatibus, populo, sive communitate, liberis suffragiis conduntur. Administratio Reip. secundum has leges Regi committitur. Et hæc Monarchia, ea tamen potestate limitata, sine qua leges & libertas defendi nequeunt, instructa, Optimatum factiones, plebisque tumultus impedit.* (2) Hinc illæ superioris & inferioris confessus formulæ: *Les Seigneurs ont assentis, les Communes ont assentis.* (3) An regia majestas pendeat ab ordinibus regni, & ab illis eripi possit. (4) de Maria Scota, Eduardo II. & Carolo I. variant judicia.

§. XLVII. Post Caroli I. necem, Cromwellus Protector democratiam restituere vulgo credebatur; sed populus, unius imperio assuetus, non potuit imaginariam libertatem diu conservare.

(1) Cromwelli virtutes, vitia, ambitio, hypocrisis, res bene gestæ, & errores politici, ex ejus vita, cum notis polit. petantur. (2) Machiavelli observatio ad Livium lib. I. c. 16. de populo;

pulo, casu libertatem consequente. (3) Cur in
 furoribus & sartoribus plus præsidii, quam in no-
 bilibus posuerit. (4) Illis gubernatio regia adeo
 exosa, ut quidam noluerint precari *adveniat Re-*
gnum tuum, sed *adveniat Respublica tua*. (5) in
 nummis RESP. ANGLORUM. (6) Adde Burnet
 memoires introd. pag. 128. seqq.

SECTIO VII.

De Ratione status.

§. XLVIII. Finis reipublicæ est
 beata Regis & civium vita, ut regnum
 opibus firmum; copiis locuples, gloria
 amplum, virtute honestum fit: unde
 vix in alio regno populus adversus ty-
 rannidem magis munitus est.

(1) Cominæus lib. v. c. 18. *Quantum ego ju-*
dicare possum, omnes Principatus mihi notos, ubi
& Respublica optimo loco habeatur, minusque fiat
populo injuriæ, & minus vastetur prædiorum, ob
discrimina bellorum, excellit Angliæ regnum, cu-
jus moribus omne infortunium in eos recidit, qui
bella ipsa faciunt.

§. XLIX. Domi interest, ut, semi-
 ne factionum sublato, cum Scotis unio
 sancte colatur; in Hibernia rebelles
 coërceantur; opificia, commercia &
 societates mercatoriæ floreat; navalis
 disciplina salva fit, & exercitia mili-
 taria paganorum jugiter continuentur.

(1) No-

(1) Notum illud Aristotelis: in perpetuo motu esse Resp. mixtas, modo prævalente Rege, modo populo. (2) Militis perpetui 12435. utilitas, ad frenandam plebem. (3) An conducatur Hiberniæ dari membra Parlamenti. (4) Plinius lib. III. ep. 18. *Præcipere, qualem deceat esse Principem, pulchrum quidem, sed onerosum ac prope superbum.*

§. L. Gallix Rex, inter externos, maxime observari debet: cum Protestantibus ob vinculum religionis, cum Hispanis, Turcis & Moscovitis commerciorum ergo, pax colenda: & curandum, ne quis potentior sit mari, utque ipsa maneat examen, in bilance Europæ.

(1) Dicitur vetus: Francum amicum habeas, non vicinum. (2) Confer Temple *Considerations generales sur l'état & les intérêts de l'Empire, de la Suede, du Danemarck, de l'Espagne, de la Hollande, de la France, & de la Flandre, par rapport à l'Angleterre.*

§. LI. Prætensiones format tum in Galliam universam, tum in Normaniam & Aquitaniam, ejus provincias. Arrogat sibi quoque dominium maris circumflui, & immunitatem à vectigali, in Danico Helleponto.

(1) Anglorum causam Wallingham, Knighton & Ludewigius singulari dissertatione, t. 2. Opusc. 9. adversus Froffardum, Gaguinum, du Chêne, Bouchetum, Bodinum, aliosque Gal-

Gallos egerunt. (2) Elegans Rapini t. II. lib. x. dissertatio de *Lege Salica* & lib. XII. differt. de *Puella Aurelianensi* pag. 180. (3) Homagium Eduardi III. & Declaratio confiscationis ducatus Aquitanie, contra Regem Eduardum, est apud Leibnit. tom. I. pag. 132. & 228. (4) Idem t. 2. p. 271. acta quaedam, de antiqua præensione Regni Angliæ in Scotiam collegit. Vid. Knigton lib. 3. c. 2.

S E C T I O. VIII.

De Titulo & Insignibus Regni.

§ LII. Angliæ & Scotiæ nominibus extinctis, titulus Regis est: *Dei gratia, Rex Magnæ Britannie, Franciæ & Hiberniæ, Defensor Fidei.* A subiectis *Sir*, id est dominus, compellatur. *King*, à *Kuning*.

(1) Jacobus I. A. 1604. Angliam & Scotiam extinctis odiorum vocabulis, in unum corpus redegit V. Baconis de Verulamio *Felix Scotiæ cum Anglia unio.* (2) Henricus II. Hiberniæ Dominus factus. (3) Henricus VIII. titulum *Regis Hib.* adscivit A. 1541. (4) Idem A. 1521. *Defensor fidei*, à Leone X. appellatus, ob strictum, pro defensione septem sacramentorum, calammum, adversus Lutherum, qui ei respondit tom. II. Jenens. f. 130. (5) Bullam Leonis vide apud Selden. de tit. hon. p. I. c. 5. aliam Clementis VII. in Act. Publ. Rymeri t. 14. p. 13. (9) Adde Burnet lib. I. & du Chene l. 20. p. 1011.

§. LIII.

§. LIII. Insignia regni sunt quadripartita: in quadra prima & quarta tres Anglici Leopardi, cum Scotorum ru- beo leone & equo Luneburgico, in secunda lilia Francica; in tertia Hy- berniae chelys aurea cernitur. Supra est corona clausa liliata: telamonum al- ter leopardus coronatus, alter unicor- nu, cum simbolo: DIEU ET MON DROIT. Scutum periscelide cingi- tur.

(1) Angliæ leopardos, a Richardo I. ad fa- crum bellum se accingente, Spelmannus deri- vat Aspilog. p. 45. (2) Scoti olim cruce An- dreana usi, auctore Boetio in Hist. Scot. (3) Chelyos origo, forsan a Rege Davide. (4) Sym- bolum istud à Richardo I. (5) Elifabethæ vero & Annæ *Semper eadem*. (6) Wilh. III. *Je main- tiendray*. (7) Scotico apici adscriptum **IN DE- FENS.**

S E C T I O IX.

De Singularibus Regum.

§. LIV. Modus sceptri capessendi hereditarius fuit, jam a Saxonum & Wilhelmi temporibus; ut tamen momentum ei adferret Procerum & po- puli consensus. Feminarum vero, ad
suc-

successionem haud infeliciter admissarum, exempla desunt, ante Marias, Scotiae & Angliae reginas.

(1) Robert. Brady in *Compleat History of England*, hereditarium succedendi modum professi opera probare voluit, renitente Tyrrelio in *General History* (2) de feminarum imperio Tacitus Agric. c. 16. de Britannis: *Voadica, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumere universi bellum.* & lib. XIV. Annal. 35. *Boudicea, cum filias praese vehens, ut quamque nationem accesserat; solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testatur.* (3) Bodinus lib. vi. de Rep. c. 5. *Regnum Britannorum, etsi Domitiani temporibus ad feminam pervenisse legimus, mille tamen & quingentos amplius annos, feminarum imperia nulla pertulerat, quousque Maria, Eduardi VI. Regis Anglorum soror, fratris imperium excepit: decimo fere post anno, quam Maria Jacobi V. Regis Scotorum filia, regni gubernacula suscepisset, quae prius ad centum & quinque Reges, semotis feminis, delata continua serie fuisse legimus. At etiam Bitrico rege, uxoris beneficio quondam sublato, senatus populusque Scotorum sempiterna lege veterat, Regum uxores Reginae appellari, aut publice Maritis assidere.* (4) De origine vocis *Queen*, comes, *compagnon*, persona regi proxima, regina, & cur Westsaxones eam negarint reginis, vid. Selden. de tit. hon. p. 1. c. 6. §. 7.

§. LV. Ceremoniae coronationis & unctionis quando ceperint, incertum est. Insignia regni, quorum in illis usus, in turri Londinensi asservantur.

(1) An Saxonum ævo unctio usitata, an vero Alwredus primus fuerit unctus? (2) in fabulam, de origine olei, & coronæ imperialis clausæ, inquit Seldenus de tit. hon. p. 1. c. 8. (3) Post sacrum sermonem, Westmonasterii in templo Petri, præsentibus Archi-Episcopis, Episcopis, regni Officialibus, & Equitibus ordinis, Rex jurat, ungitur, accipit calcaria, gladium sine mucrone, (qui *Curtana* vocatur) vestimenta, globum, anulum, baculum, & coronam Eduardi Confessoris, Biblia, benedictionem, homagium & S. Cœnam. (4) Matth. Parisiensis Hist. Angliæ ad A. 1166. *Inunguntur Reges in tribus locis, in capite, in pectore, & brachiis: quod significat gloriam, potentiam & fortitudinem.*

S. LVI. Donum tactu curandi strumas, *the Kings Evil*, vel epilepsiam & spasmodum annulo Eduardi, ægre Elisabetha exercere voluit, Wilhelmus III. tanquam superstitiosum, repudiavit.

(1) Tokerus, in libro, *Charisma, seu donum sanationis*, originem facultatis hujus à Lucio petit, veramque Ecclesiam hoc argumento probat; a Smithæo in flor. Hist. Eccl. gentis Angl. derisus. (2) Malmesburiensis ab Eduardo, & ex somnio adolescentulæ, lib. 2. addens: *Multoties Eduardum Confessorem hanc pestem in Normannia sedasse; Unde in nostro tempore quidam falsam insumunt operam, qui asseverant istius morbi curationem non ex sanctitate, sed ex Regalis prosapie hereditate fluxisse.* (3) Anglis id negant Galli, ut du Chene lib. 10. *Histoire d'Anglet.* pag. 437. & *Lancre de l'incredulité tr.*

3. n. 12 pag. 165. (4) De Wilhelmo auctor est Milfon Voyage d'Italie p. 2. p. 211.

§. LVII. Ad characteres Regum pertinet, quod Eduardus Conf. auctoritatem regno conciliavit; Wilhelmus Conquæstor absoluti imperii fuit auctor: Henricus VI. Galliam adjecit: Henricus VII. Anglorum Salomo, Rosas conjunxit, & filix nuptiis cum Scotix Rege fundamenta hodiernæ monarchiæ jecit. Henricus VIII. propter divortium negatum, Papam sustulit, non Papatum, ipseque Caput Ecclesiæ factus. Eduardus VI. ævi sui miraculum, reformationem sacrorum inchoavit, quam prudentissima Elisabetha virili animo absolvit: Jacobus I. doctus & pacificus, regna univit: Carolus I. decollatus; Carolus II. & Jacobus II. Pontificiis addicti; Wilhelmus III sapiens, & Britannix liberator

(1) Characterem Henrici VII. quem Baco de Verulamio dedit, sugillat Rapius lib. 14. (2) Argumenta utriusque partis, in causa divortii Henr. VIII. & Catharix. (3) Diversos de Elisabetha sermones, virtutes & vitia ejus complementes, narrat Grot. lib. xii. Hist. pag. 431. (4) Gallorum in eam scormina: *Anglois vous dites* &c. (5) Cur illa non nupsit uni tot procorum, variæ conjecturæ. (6) Grotius epist.

1447. *Elisabethæ tempora non minus pulchrum præbent regnandi exemplum, quam ullæ historiæ: plane ut felices futuri sint Angli, si ad eam formam res redeant. Magna semper fiet ejus reginæ auctoritas, eaque nusquam magis, quam in ipsis Parlamentariis Conventibus emicuit. Totius enim populi animos, quæ vere regia possessio est, habebat in sua potestate: Liberalitas autem populi tanta, ut eam sæpe coercuerit Regina, idque cum domaret Hibernam feritatem, Regiam in Gallia sublevaret domum, Batavos perire non sineret, Hispaniam & Americam classibus territaret, ad quas res tantas facile ei sumtus suppetebant, quia alii non erant necessarii, & in populi odium incurrentes recidebantur.* (7) Jacobus I. a conspectu stricti gladii abhorruit, vitio a matre ingenato. Vid. Digbæus de Sympathia. (8) Caroli II. ingenium & mores vide apud Burnetum memoires t. 2. p. 603. (9) Originem Wilhelmi Conquæstoris, Henrici VII. & Jacobi I. &c. vid. Imhoff Historia Genealogica Regum M. Britanniæ.

§. LVIII. Hodie Regnis felicissime præest Georgius Ludovicus, simul Elector Hanoveranus & Dux Brunsvicensis: natus 28. Maji MDCLX. coronatus 20. Oct. MDCCXIV. custos securitatis publicæ, verus religionis afflictæ Defensor, rerum pace & bello gestarum magnitudine gloriosus.

(1) Domus Hanoveranæ successio, lege Parlamenti declarata, 22. Mart. A. 1701. & plenius A. 1705. (2) Georgii gloria militaris in Belgicis, Turcicis & Gallicis bellis. (3) Ejus

Ejus familiæ genealogia & origo, a Guelphis.
 (4) Camdentis in Yorkshire: *Eboracensis* pro-
 vincie primus & unicus Comes erat Otho, filius
 Henrici Superbi, Ducis Bavarie, e Matilde, fi-
 lia Henrici II. Regis Angliæ, qui postea Impera-
 tor Augustus salutatus & Otho V. appellatus. A
 quo oriundi sunt Duces Brunsvicenses in Ger-
 mania, qui in hujus cum Angliæ Regibus cogna-
 tionis argumentum, isdem insignibus, quibus primi
 Reges Angliæ, e sanguine Normannico, duobus
 scilicet leopardis, sive leonibus aureis in clypeo ru-
 bro utuntur.

§. LIX. Ejus filius, Georgius Au-
 gustus, natus 30. Oct. MDCLXXXIII.
 Walliæ Princeps declaratus A. MDCCXIV.
 ex conjugē Wilhelmina Charlotta, pri-
 mogenitum suscepit, Fridericum Ludo-
 vicum, Ducem Glocestriæ a. d. 31. Jan.
 MDCCVII.

(1) Regis primogenitus Saxonum ævo *Æ-*
thelingus & *Clito* dictus. (2) Postea nullus ti-
 tulus certus, donec Eduardus I. filio titulum
 Principis Walliæ & Comitum Cestriæ dedit. (3)
 Hodie nascitur is *Dux Cornubiæ*, *Comes Cestriæ*
 & *Flintæ*; creatur & fit Princeps Walliæ. (4)
 Diploma Eduardi III. apud Selden. de tit. hon.
 p. 2. c. 5. *Eduardum Principem Walliæ fecimus*
& creavimus, & dictum principatum illi dedimus
& concessimus, & per chartam nostram confir-
mavimus, ac ipsam de dicto principatu, ut ibidem
præfidiendo præfideat, & præfido dictas partes
dirigat & defendat, per sertum in capite, & an-
nulum in digito aureum, ac virgam argenteam in-
vestimus juxta morem.

§. LX. Jacobus Eduardus, reginae si, in partu simulato, non est suppositus 21. Jul. MDCLXXXVIII. certe secundum leges regni haud natus, & Pontificius, regni spem reliquam nullam habet.

(1) Ejus nativitas ex Burneti memoires lib. III. pag. 291. seqq. (2) Varia ejus nomina, Præ-tendentis, Principis Walliæ, Equitis S. Joris, Ducis Glocestriæ, (3) Conatus varii repulsi. (4) Affectus ejus apud Anglos, Scotos & Hibernos, qua de causa. (5) De patre Burnetus in memoires lib. 3. & Schurtzfl. diff. 34. §. 26. *Jacobus II. regnum ab origine sua liberum & in libertate perpetua conservatum ideo amisit, quia pacta, quibus coaluit semper & constitit, re-promissionis suæ oblitus violavit, & religionem, quæ integra ab hinc seculo primas in regno tenuit, specie paritatis infirmare paulatim, & deinceps extinguere voluit, ad quam tuendam jurejurando se obligarat.*

§. LXI. Ministrorum regni primus quondam fuit Magnus Seneschallus, hodie est Custos magni sigilli, qui simul Cancellarius; tum Thesaurarius, Præses Consilii Status, Custos sigilli privati; summus Cubicularius, Marechallus, & Admiralius magnus.

(1) De officio Cancellarii Angliæ cum catalogo Cancellariorum, vid. Joh. Seldenus. (2) Cubicularii magni dignitas hereditaria familiae ducis d'Ancafter. (3) Admirali magni manus

cur

cur non nisi Principi sanguinis, vel marito Reginae, aut viro optime merito conferatur. (3) Duo Secretarii status, ab Henr. VIII. etate, quibus tertius post unionem accessit. (4) De Vice Comite Townshend.

§. LXII. Palatia Regum celebriora sunt Aula alba, *Wittehal*, St. James, arx Windsoresis, Hamptoni curia & Groenwich: in quibus ministri Ecclesiastici, Civiles & Militares Aulae splendidae sunt praefecti.

(1) De Decano capellae regiae, Praefecto oratorii & Eleemosynario magno. (2) Cancellarii, & Magni Magistri palatii auctoritas, Cubicularii, Stabularii, & *the Stole*, forsan a Stola & veste regia, cui praepositus est, dicti (3) Regis Custodes *Gentlemen Pensioners*, *Yeomen*, Equites, Peditesque.

SECTION IX.

de Viris illustribus.

§. LXIII. Virorum illustrium celebriores sunt Morsus, Woffæus, Polus, Robertus Comes Essexius, Cranmer, Baco de Verulamio, Hide, Duces d'Ormond, d'Albemarle, Buckingham, Hamilton & Marlborough: Mylords Clarendon, Polwart, Southamton

Shaftsbury , Anglesey , Sunderland
Bristol, aliique plures,

(1) Guil. Roperi vita Th. Mori. (2) De
Wolſæo, Ianii filio, ita Thuanus lib. I. *Thomas*
Wolſæus, homo vili & sordido loco natus, sed
tanta ambitione & superbia præditus, ut gravis
proceribus & nobilitati, postremo Regi ipsi mole-
stus fuerit &c. (3) idem vero tanquam Mæcenâs
laudatus, ab Anton. a Wood *Antiq. Oxon. lib. I.*
ad hb. (4) Mariæ sententia, qua Cranmerus
ad rogum damnatus, est apud Rymer. Act. publ.
tom. xv. pag. 431. Effigies ejus apud Rapium
tom. vi. pag. 1. John Strype *Memorials of Thomas*
Cranmer. (5) Pufendorf de orig. & progr. jur.
nat. *Sapientissimus Baco*, Angliæ Cancellarius,
præcipue velut classicum cecinisse & signum sustulis-
se videtur, ut in rebus Philosophicis aliquid ulte-
rius & exquisitius investigaretur, quam quo hæcte-
nus Scholarum parietes resonuerant. Sicut si quæ
est pulchrius nostro tempore efflorescentis Philoso-
phiæ gratia, isti viro non minima ex parte debeatur.
(6) Recentiorum caracteres dedit Burnetus in
memoires lib. I. pag. 185. & passim. Adde
ejusdem Memoires de la maison d'Hamilton
(7) Essexii exitus miserabilis, apud Grotium
lib. x. Hist. pag. 414.

SECTION X.

De Scriptoribus Britannicis.

§. LXIV. Britanniae veteris faciem
Guil. Camdenus in *Britannia*, Lond.

1607. fol. optime exposuit. Geographiam medii ævi Edmundus Gibson, in versione Camdeni Anglicana, docte illustravit. Mappas geographicas sub Romanis; Saxonibus & nostri temporis Rapin Thoyras t. I. p. I. 6. 91. & t. 2. fin. historiæ suæ inseruit. Novissima Geographia, in Beevereli *Delices de la Grande Bretagne* comprehenditur.

(1) Historiam naturalem Angliæ Carolus Leighs; Scotiæ Robbertus Sibbaldus; Hiberniæ Gerardus Boate descripserunt. (2) Theatre de la Grande Bretagne, ou description des Palais. 1724.

§. LXV. Historiam antiquam, sub Romanis, Scriptores de rebus Cæsarium sparsim attigerunt; Saxonum & Danorum res gestæ, ex Commelini, Savilii, Camdeni, Twysdeni, Felli, & Galei collectionibus petendæ sunt: Duchenius *Normannicarum* rerum scriptores collegit, quorum præcipuus est Matthæus Parisiensis.

(1) Inter Historiæ Augustæ scriptores, Tacitus, in Agricola, principem locum obtinet. (2) Anglorum vetustissimus scriptor est Gildas, cogn. Sapiens, circa medium sæc. vi. (3) Tum Bedæ, cogn. Venerabilis, sæc. viii. Historiam Eccl. Gentis Anglorum descripsit. (4) Bonus item, ac narrationis fide, & iudicii maturitate scriptor est Wilh. Malmesbur. de rebus gestis

gestis Anglor. quem Galeus *Patrem historiae gentis* appellavit, & Mabillon de Stud. Monast. p. 2. c. 20. aliis prætulit.

§. LXVI. Afredi M. vitam Spelmanus illustravit; Wilh. Conquæstoris Samuel Clarke; Richardi III. Th. Morus; Henrici VII. Baco de Verulamio & Marfolierius; Henrici VIII. res gestas Brooke & Burnetus excusserunt. Elifabetha famæ præconem nata est Camdenum; Jacobus I. Sanderfonium; Carolus II. Burnetum; Wilhelmus III. & Maria Sylvium; Chevalierium & Samsonum.

(1) Camdeni Annales Regni Elifabethæ, magna gravitate & elegantia compositi, an jussu Jacobi Regis sint truncati, & an spes sit, eos in integrum restitutum iri, vide Burnet. in replicat. ad Varillaf. Thom. Smith. in vita Camdeni pag. 52. seqq. (2) An aliter Camdenus ad Thuanum, aut ab iis, quæ in annalibus posuit, diversa scripserit, vid. idem pag. 54. (3) Cur apographum partis posterioris Petri Puteani fidei & curæ crediderit, idem pag. 58. & Bayle in diction. voc. Camben. (4) Apud Greg. Leti in theatro Britannico, & vita Elifabethæ, non minus, quam in scriptis Walsinghami, ac Melvilii *memoires du Regne d'Elizabeth* occurrunt circumstantiæ, à Camdeno omiffæ.

§. LXVII. Integram gentis historiam Italus, Polydorus Virgilius primus aggressus est, deinde Andr. du Che-

Chenius Gallus, sed in patriæ suæ historia felicior, & superatus a Larreyo Buchananus Scotiæ, Stanihurstus Hiberniæ historiam dedere. Novissimus est Rapin Thoyras, *Histoire d'Angleterre*, à multis ad scribendam historiam subsidiis instructus, Hagæ 1724. in 4.

(1) De Polydoro, homine peregrino, non satis favorabilia judicia Oweni Epigr. 49. Savilii & Vossii: à plerisque plagii & studii partium accusatus. (2) Mitius censet Whear in Meth. leg. hist. & forte aliquid invidiæ subest. (3) Mr. Rapin præface pag. 16. *Les Anglois se plaignent de la temerité de Polydore Virgile, qui, malgré un séjour de quarante ans, en Angleterre, n'a pas laissé de faire des lourdes fautes, dans son histoire. C'est un fâcheux préjugé contre moi.* (4) Elegans hujus dissertatio, de legibus, moribus & lingua Saxonum t. 1. pag. 475. (5) Buchanani laudes ex Scaligero, Thuano lib. 76. & Burneto Hist. reform. p. 1. 1. 3. (6) Camdenus Annal. Elisab. ad A. 1567. eum partium studio & Moravii munificentia abreptum, ita scripsisse, ut ejus dialogus de jure regni apud Scotos falsitatis damnatus sit, ab Ordinibus regni Scotiæ.

§. LXVIII. Reipublicæ notitiam tradidit Camdenus, Th. Smithus, & optime Chamberlainius, Angliæ Jctus, vernaculo sermone, quæ & Gallice versa, sub rubrica *Etat present d'Angleterre*,

& Germanice prodiit, a Miegio locupletata in 4. Lips. 1718.

(1) Varias status mutationes antiquas Seldenus in Analect. Anglo Brit. lib. 2. explicavit ; (2) recentiores P. d'Orleans in Revolutions d'Angleterre, laudatis apud Larrey præf. vol. 2. Histor. & Clarendon memoires de la rebellion d'Angleterre sous Charle I. (3) Chamberlainii *Etat* Londini coeptus A. 1668. a filio autem continuatus ad editionem 24.



CAPUT III.

DE

GALLIA.

SECTIO I.

De ortu & progressu regni.

§. I.



GALLIAM antiquiores Græci Γαλατίαν, & Gallos Γαλάτας appellarunt, vocabulo originis incertæ. Serius Francia dicta à Francis: qui ab Atuatico *vranghe*, quod est ferox, asperum; vel a *libertate* nomen tulerunt.

(1) Gallos alii à Gaal, Gallim, γάλα. (2) Diodorus Siculus lib. v. c. 24. fabulose à *Gallata* Herculis filio derivat. (3) Lactantius apud Hieron. a *candore corporis Galatas nuncupatos*, ait. (4) Forsan ab antiqua voce *Wallen*, contracte ex *Wandelen*, pergrinari; ut *Wallia* quasi *Wandalia*, & *Wallones*, *Waelen* peregrini. (5) Migrationes Gallorum antiquissimæ in Italiam, Græciam & Asiam ex Livio lib. v. c. 33. lib. 38. c. 16. Floro lib. II. c. II. aliisque (6) Pau-

Paulanias Attic. c. 3. Sero usus obtinuit, ut Gallatæ appellarentur: Celtas enim tum ipsi se, tunc alii eos nominarunt. (7.) Franciæ triplex significatus: in nummis Constantini partem Germaniæ notat: Gregorius M. I. IV. ep. 31. pro Gallia posuit, apud Lambert. Schafnab. Franconia *Francia Teutonica* appellatur.

§. II. Gallia Narbonensis à Fabio, reliqua fere a Julio Cæsare in Romanorum potestatem redacta est: quibus quum annos plus quam quingentos fervierat, seculo quinto, ab Alamanis, Burgundionibus & Gothis tentata, tandemque a Francis tota subacta est.

(1.) De Cæsare Sueton. lib. 1. c. 25. (2.) Constantini errores politici, a Zosimo notati. (3.) Alis causæ successus gentium Germanicarum. (4.) Hieronymus ad Ageruchiam: *Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & hostiles Pannonii vastarunt.*

§. III. Inter sedecim Reges, primæ stirpis *Meroveadarum*, eminent Clodoveus, qui ejectis Romanis, victisque Gothis & Burgundionibus A. ccccxc. regnum fundavit, sed nimia regnandi libidine auxit. Successoribus autem ad ignaviam conversis, vis regni collapsi penes Majores domus fuit.

(1) Da-

(1) Danielis dissertationes. quibus, quæ de Regibus ante Clodoveum narrantur, ad fabulas retulit, a pluribus laudatæ. (2) Quæ de Pharamundo traduntur, ex Prosperi chronico interpolato, an sint vera. (3) Consensus eruditorum Clodionem obiisse A. 451. (4) Prælium Clodovei memorabile ad Tolpiacum A. 496. (5) Quatuor ejus filiorum divisio minus prudens. (6) Series Majorum domus apud du Frenium Glosfar. & Tolnerum Hist. Pal. c. 5.

§. IV. Pippinus A. DCCL. secundam Regum familiam condidit, quæ à filio ejus Carolo, rebus gestis & invidendis auctibus Magno, *Carolingica* vocatur. At divisiones nepotum, Procerumque potentia huic generationi exitium attulit, postquam XIII. Reges per duo secula scenam tenuissent.

(1) Pippini stemma apud Miræum in Donat. Belgic. t. 1. pag. 494. & 497. (2) Caroli M. tria regna amplissima, Franciæ, Langobardorum & Imperium Romanum. (3) Tabulæ divisionum Ludovicii Pii apud Baluz. tom. 1. Capit. Reg. Franc. p. 574. explicatæ à Valesio in Notit. Gall. & Schurzfl. in dissert. de Divis. Imp. Carol.

§. V. Hugo Capetus, Comes Parisiorum, tertiam Regum prosapiam *Capetingicam* fundavit, A. DCCCCLXXXVII. quæ post Reges quatuordecim A. MCCCXXVIII. in duas, Valesiorum & Borboniorum, lineas abiit, quarum posterior

sterior ad nostram usque ætatem perdu-
rat.

(1) Hugonis Capeti majores apud Imhof. introd. in Geneal. Fam. Gall. & in Actis Eru-
dit. A. 1683. p. 466. (2) Bellum Sanctum
& Conjunctio Regni Neapolitani multarum cala-
mitatum causa.

§ VI. Gens *Valesia* ex A. MCCCXXVIII.
ad A. MDLXXXIX. tredecim Reges dedit,
sub quibus Gallia misere, luctuosis
Anglorum bellis, afflicta fuit; donec
sub Carolo VII. ope agrestis puellæ,
subito eluctari, & à Ludovico XI. in-
staurari cœpit: sed mox intestinis bel-
lis iterum involuta.

(1) Historiam Johannæ d'Arc Joh. Horda-
lius & Goldastus in Sibilla Francica dederunt.

(2) An vera sint, quæ de ea narrantur; an
divinitus fuerit missa; an jure rogo dicata? (3)
V. Voet disp. de sign. & mir. Lipsii monita po-
lit. lib. 2. c. 2. & Mornac. ad l. 3. C. Si minæ.

§ VII. Felicior gens *Borbonia*, in-
de ex A. MDLXXXIX. ad hæc tempora
decurrens, Galliæ hospitatrix fuit,
eamque prudentia Henrici IV. Ludovici
XIII. & XIV. ad eum potentia
gradum evexit, ut gravis fuerit liber-
tati Europæ.

(1) Domus Borboniæ origo, nomen & in-
crementa. (2) Henricus Regum ævi illius ma-
ximus, & Cæsari par, aut Alexandro, nisi amo-
res

res obfuiſſent. Vid. Bayle in *Henry IV. Londelli Faſtes des maiſons d'Orleans & de Bourbon.* (3) Regnum Navarræ a patre Henrici IV. nuptiis quæſitum (4) Vide *Procedures faites contre Jean Châſtel, & Apologie pour Jean Châſtel.* item *Pyramides due, una nova, de perpetrato, altera vetus, de attentato parricidio, in Henrico IV.*

S E C T I O II.

De finibus & ingenio regionis.

§. VIII. Quicquid Rheno, Oceano, Pyrenæis & Alpibus clauditur, olim Gallia erat; nunc arctiores ejus limites: ab ortu Sabaudia, Helvetia & Germania; ab occaſu Oceanus Aquitanicus; a ſeptentrione mare Belgicum & Britannicum; a meridie Mediterraneum & montes Pyrenæi.

(1) Sueton. Cæſ. c. 25. *Omnem Galliam, quæ à ſaltu Pyrenæo Alpibusque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia paſſuum, in Provinciæ formam redegit.* (2) Rhenus limes à Ducibus Romanis & Comitibus cuſtoditus l. 9. C. Th. de Re milit. (3) Certamina Gallorum cum Hiſpanis de finibus ad Pyrenæorum radices (4) Vid. Petri de Marca *Marca Hiſpanica, ſeu Limes Hiſpanicus.*

§. IX. Cæſar Galliam Trans-Alpinaſ quadripartitam fecit: Narbonen-

M

ſem,

sem, Aquitanicam, Lugdunensem, & Belgicam: hodie in XII. Præfecturas generales (*Gouvernements generaux*) dividitur.

(1) Gallia olim à regione divisa in transalpinam & cisalpinam: à cultu hominum in comatam, braccatam & togatam, V. Manut. quaesit. per epist. l. 2. c. 2. (2) Quinque Provinciæ Galliarum in l. 15. C. *Tb. de Paganis*, earumque prima Lugdunensis, ex l. 1. C. *Tb. de Censu*. (3) Tres Galliæ: Belgica, Aquitanica & Lugdunensis ex Othone Frisingensi lib. 6. c. 9. (4) harum divisiones in explicandis C. *ult. x. de Majorit. & obed. C. ult. x. de Dolo & contum. C. ult. x. de Dilat.* observandæ. (5) Divisio Regni Francorum in Austrasiam & Neustriam, sub liberis Clodovei. Vid. Schurtzfleisch de Austrasia. (6) Caroli Calvi divisio regni in duodecim missaticos, seu regiones, apud Miræum t. 1. pag. 340.

§. X. Flumina majora sunt Garumna, *Garonne*; Ligeris, *Loire*; Rhodanus, *le Rhône*; Sequana, *la Seine*; Dordonia, *la Dordogne*; quibus varii minores miscentur.

(1) Seneca lib. III. Nat. quæst. c. 6. *Constat, Galliam abundare rivis, quia cælo humido utitur, & ne æstas quidem imbribus caret.* (2) De fossa, *le Canal de Languedoc*, qua Ludovicus XIV. duo maria junxit, magis operosa, quam utile, vide *Journal des Sçavans* ad A. 1681. p. 223. (3) Sequana & Matrona Lutetiæ nutrices. Ligeris fluminum regina, ingentes excipit.

cipit, & navigiorum patientes fluvios, non paucos. (5) In Rhodanum Druentia, Druna & Araris exonerantur. (6) In Garunnam Tarnis, Oldus & alii navigeri (7) Vid. Massoni descriptio fluminum Galliae, cum notis Baudrandi.

§. XI. Portus nobiliores, ex quibus in omnes terrarum partes vela mittit, sunt sequentes: Caletum, Nannetum, Tolonium, Bajona, Rupella, Portus Gratiae, S. Malo, Massilia, & omnium optimus Brivatium, vulgo Brestia.

(1) De portu Icio, ex quo Cæsar in Britanniam trajecit, varia Scaligeri, Valesii, Cluverii & Chiffetii sententiae, excussæ à du Fresnoy, in duabus de portu illo dissert. (2) Caletum Galliae porta Anglis dictum. (3) Brestia navium camera. (4) Rupellæ obsidio stupenda apud Grammondum lib. 18. ad A. 1628.

§. XII. Urbium ingens est numerus; quas inter aliae sunt, venerandæ antiquitatis monumentis spectandæ: ut Lugdunum, Vienna, Aurelia, Augustodunum, Narbona, Nemausus, Burdigala & Vesontio: aliae sunt majores, ut Rothomagus, Pictavium, Tholosa & inprimis Lutetia, natus unice ad incrementum locus, regnique compendium.

(1) Ammianus Marcellinus lib. xv. c. 10. *Hanc Galliarum plagam, ob suggestus montium & horrore nivali semper obductos, munimina claudunt*

dunt undique, natura velut arte circumdata. (2) Lutetiæ Parisiorum antiquitas ex Cæsare & Strabone, qui *Lucotociam* appellavit; *Castellum Am-
mianus* lib. xv. c. xi. (3) Ejus comparatio cum Londino, à Petti, Anglo, instituta, vid. Biblio-
theque universelle A. 1688. (4) Carcer Basti-
lianus, Louvre, Sorbonna. (5) Mornacius ad
I. 51. D. de Peculio: *Nulla in parte Gallie, quæ-
cumque illa sit, sedes imperii stare figique potuit,
quam Lutetiæ; tanto & loci & feracium duode-
cim hinc illinc fluviorum beneficio, quos excipit
Sequana, illabens undis quasi Niliacis in mare pro-
ximum, quo incomparabilis aliunde urbi confertur
felicitas.* (6) Tres claves regni, a Richelio desi-
deratæ: Brisacum, Pinarolum & Perpignanum.

§. XIII. Propter summum Liberi
patris cum Cerere certamen, Regnorum
in occidente felicissimum est: ferax
olei, salis, frumenti, serici, lini,
cannabis, glasti, malorum, croci, fi-
cum, aliorumque fructuum arboreo-
rum. Vini tot sunt nobilitates, ut sine
nomenclatoris opera vix numerari pos-
sint.

(1) Strabo lib. iv. Geogr. p. 178. *Narbonen-
sis Gallia omnia fructuum genera profert, quæ in
Italia nascuntur. Reliqua omnis Gallia multum
fert frumenti, milii, glandis, ac omnigenum alit
pecus: nihil in ea otiosum est, nisi qua plaudes
aut sylvæ obstant.* (2) Hinc dives Manilio &
Josepho; *saluberrima frugum omnium genitrix
Cæsari; felicissima Claudiano dicta.* (3) Vites
quando in Galliam ex Italia delatæ V. Liv. lib.

v. c. 33. (4) Provincia & Aquitania generoso vino abundant: Piccardia & Normannia carent.

(5) Budæus de asse lib. V. *Vinosiorum hominum iudicio vina agri Parisini mucrone obtusiore sunt, nec satis lancinant linguas gustu fervido & acuto.*

Alioquin sanorum iudiciorum consensu constat, vina Francica, id est vineti Parisini, omnibus numeris bonitatis præcellere, tametsi halitu, ut illa externa, vertiginem non cieant. (6) De confectioe salis; floride Manilius lib. 5. & Rutilius lib.

1. *Eluviem maris unda arefcente Tacitus vocat*

l. XIII. Ann. 57. (7) Bonitatem ejus Bodinus

celebrat l. VI. de Rep. c. 2. elegantius Mornacius ad l. 3. C. Pro focio; *nullum esse in orbe*

sinum, in quo tam salubris humano corpori sal, tamque commodus ad singula qualibet parari

conficive soleat, quam in salinis passim Gallicis.

§. XIV. Ubi messes deficiunt, ferri, plumbi, lapidum & gemmarum fodinas habet: omnis quoque generis feras & animalia: sed caret auro, argento, stanno, ac sufficiente equorum foetura, qua eam Germania, uti Britannia ovibus vincit.

(1) Galliae auriferam vim celebrat Strabo lib.

III. & Plinius lib. 33. c. 3. quæ diu est exhausta. (2) Mornacii monitum ad l. 77. D.

de Contr. emt. de Gallia Belgica, seu Flandria accipi debere, quod de lapide in Gallia renascente, scribit Ulp. in l. 7. §. 13. D. Sol. ma-

trim. (3) Ferrum Foxense.

§. XV. Aëris clementia & temperies, ex calore & frigore, cum soli ubertate

tate adeo amice conspirat, ut saluber-
rimis regionibus accenseatur.

(1) Seneca lib. v. Nat. Quæst. c. 17. in Nar-
bonensi Gallia causam depromit a vento : *Gal-
liam Circius infestat : cui ædificia quassanti, tamen
incolæ gratias agunt, tanquam salubritatem cœli
sui debeant ei. Divus certe Augustus templum
illi, cum in Gallia moraretur, & vovit, & fecit.*

(2) Apud Josephum II. de Bello Jud. Agrippa
magnifice de felici Galliarum situ disserit, quas
omne genus bonis, apud se scatentibus, totum
pene orbem irrigare vociferatur. (3) Cominæus
lib. IV. c. 6. *Mihi toto mundo habitabili, non vi-
detur esse Regnum, Gallico melius situm.*

§. XVI. Regno accesserunt provin-
ciæ & urbes nobilissimæ: Episcopatus
Metensis, Tullensis & Verdunensis; tota
Alsatia; Ducatus & Comitatus Bur-
gundiæ, Belgicæ pars & Lotharingiæ,
Principatus Arausionensis, Argentora-
tum &c.

(1) Tituli horum acquæstuum, ex pace Mo-
nasteriensi, Neomagensi, Rysvicensi, & Rasta-
diensi. (2) Camera Reunionis. (3) Putciani,
Conringii, Obrechtii, Chiffetii, Blondelli, Lude-
wigii & Hahnii scripta. (4) Kulpis. ad Mon-
zamb. c. 2. §. 1. p. 82. in Parlamento Brisacen-
si, pro unione utriusque Alsatiae *contra Duces
Palatinos Rheni, Veldentianum & Birkenfelden-
sem, Marchionem Badensem, Principem Vande-
montium, Comites Hanovicos & Liningenses &
ordinem Equestrum inferioris Alsatiae, pronuncia-
tum fuisse, tradit.*

§. XVII.

§. XVII. Prope Africam insula Madagascar & S. Laurentii: in America septentrionali magna Canadæ portio, cum aliquot insulis, est occupata.

(1) Conatus in Indiam Orientalem per Chaumontium A. 1688. (2) Utilitas Terræ Novæ.

S E C T I O III.

De Civium moribus & bonis fortunæ.

§. XVIII. Origo Gallorum veterum eadem est, quæ Germanorum; unde communi nomine Celtæ dicti. Francos etiam, qui Romanos expulerunt, sincerum Germaniæ populum fuisse, multis argumentis ostendi potest.

(1) Celtarum nomen, late patens, ab equitando dictum; a κέλης equus, κέλται, per syncopeν κελται; non à Celto, Polyphemi filio, ut ridicule Appianus in Illyr. (2) Suidas in κέλται: *Celte gentis nomen, qui Germani dicuntur, utrinque Rhenum accolentes* (3) Gallos laude bellica & justitiæ fama claros, Germanorum consanguineos vocat Strabo, & Dio Cassius lib. 39. Hist. ait, *idem olim genus & nomen fuisse.* (4) Franci genuini Germani, auctoritate Romanorum & Græcorum demonstrati, adversus Gallos, quos pudet eandem nobiscum originem profiteri. V. Cocceji proleg. ad jus publ. §. 20. seqq. (5) Bodinus Meth. Histor. c. 9. *Francos a Germanis originem traxisse, demus; quid enim ad no-*

stri nominis famam præclarior, aut ad societates & amicitias contrahendas illustrior, aut ad utriusque Imperii salutem utilius esse potest, quam ad fortissimam Germanorum gentem Francorum origines referre?

§. XIX. Nullum regnum majore hominum copia abundasse olim, fidem faciunt tot coloniæ, ubique terrarum sparsæ: & hodie, post expulsa tot Hugonottarum millia, vix civium numerus iniri potest.

(1) Ejus fœcunditatis causæ, & testimonia ex coloniis, quibus se exonerarunt. (2) Benedictum Principis Condei. (3) Richelii sententia 600000. militum legi posse. (4) Quot nuperrimo bello in armis.

§. XX. Veteres formam & staturam Gallorum laudarunt: Francis etiam corpora procera, rutilos capillos, oculosque cæsius tribuunt passim: verum clima & usus vini nonnulla in his mutavit. Plerique corpore sunt agili, & ad speciem virilis elegantia facti.

(1) Gallici vultus, quasi proverbio, apud Tertullianum. (2) Ammianus lib. xv. c. 12. *Celsioris statura, & candidi pæne Galli sunt omnes, & rutili, luminumque torvitate terribiles, avidi jurgiorum, & sublatius insolescentes.* (3) Eumenius in laud. Constantii, iisdem corpora barbara & prolixo crine rutilantia dedit. (4) Saavedra Symb. Polit. 81. *Franci humani sunt, affabiles & bellicosi. Eadem celeritate, qua primi eorum*
suc-

succendantur impetus, intepescunt iterum. Nec intra regni sui terminos continere se possunt, nec satis se tueri in solo alieno: impatientes & levès; visu amabiles, intolerabiles moribus: quippe quorum vivacitas & in agendo libertas, cum aliarum nationum gravitate minime convenit.

§. XXI. Mores Franco-Gallorum variant in singulis provinciis; plerique temperamenti sunt sanguinei, bile flava mixti: ingenio prompto, armis strenui, humani, hospitales, hilares, jocandi & saltandi magistri: minime vero securi, superstitiosi, ebrii, molles, aut ad remp. gerendam inepti.

(1) Sidonius *nivem probitatis* Rhodani natis adscribit: *nivem Gallicam* Lipsius crepat. Gallos *urbanos* vocat Gunther. lib. ix. v. 171. (2) Diversus genius Parisiensium, Aurelianensium, Piccardorum & Metensium. (3) Hospitalitatem Francorum Salvianus laudavit l. 7. de de gub. Dei. & ipsi lib. i. capitul. 75. *Et hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites, & peregrini, & proprii, susceptiones regulares & canonicas per diversa loca habeant.* (4) Gallorum Budæus lib. iv. de Affe: *Francia ab externis inter primas provinciarum lubentissime & visitur & habitatur: quippe visendam eam singularis præterea hospitalitas facit: incolendam autem, omnium rerum expetendarum exteris commoditas.* (5) *Causam celeritatis ingenii suppeditat Bodinus lib. v. de Rep. c. i. Gallos flava bilis ad celeritatem incitat, & ad omnes tum animi, tum corporis motus, tum etiam ad res agendas*

das efficit promptiores. Itaque Galli currere videntur Hispanis, etiam in ipso gressu. (6) Vid. Petri Firmiani, id est Zachariæ Lusieux, Capucini, Opuscula, ut: Genius seculi, Giges Gallus, Somnia sapientis. (7) An sit Gallos inter & Hispanos antipathia, Garzias, Vayerus, Baylius, & Cl. Gudlingius in Otiis excussere.

§. XXII. In eo fere conveniunt, eos esse leves, inconstantes, factiosos, bellorum, duellorum & litium avidos, fidei lubricæ, vaniloquos & gloriosos, præsertim ubi de Regis, regni aut nationis suæ præstantia agitur.

(1) Cæsaris & Taciti de levitate Gallorum testimonia, per Ligam, bella, & tumultus recentes in memoriam revocata. Vid. *Memoires de la Ligue & Satyre Menippée de la vertu du Catholicon d'Espagne*. (2) Claudianus jam olim *Franciam fallacem* dixit, lib. 1. de laud. Stilic. 236. Procopius lib. 2. de bello Goth. Francorum nationem *mortalium perfidissimam* vocat. Salvianus lib. 4. de Gub. Dei: *Si pejeret Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipsum sermonis genus putat, non criminis*. (3) Suorum causam egit Bodinus c. 5. *Meth. histor. & lib. V. de Rep. c. 1. nixus* iudicio Scaligeri de Subtil. Exerc. 167. *qui omnium, ait, gentium atque nationum, fide sunt maxime integra & constante*. (4) Proclivitas in duella, ob injurias levissimas, a Barclajo reprehensa, in *Icone anim. c. 3.* (5) Ejus rei causa ex Grotio lib. 2. de *J. B. & P. c. 20. §. 8. n. 9. & proleg. ad Procop. pag. 68. item duellorum frequentia ex Frenio dissertat. 29. ad Joinvillam, Mabillon lib. IV. de re diplom. c. 30. n. 5.* (6) Bris-

Briffacus apud Thuan. l. 94. A. 1589 vitia regni enudans, ait: *dejerationes nimium Gallis familiares, adulteria pro ludo esse; magicas artes pro ingenii non vulgaris honesto specimine; denique fœdam sacerdotiorum, magistratuum & præfecturarum nundinationem &c.*

XXIII. Lingua ex fermone Romano corrupto originem ducit; sed minus quam Italica vel Hispanica: admistis compluribus vocibus Gallorum veterum, & Germanicis Francorum.

(1) Triplicis olim linguæ usus: *Romanæ*, quæ & rustica, ab usu rusticorum; *Latinae*, Cleri & eruditorum; & *Theodiscæ*, five Francicæ, nobilium, ex quibus hodierna conflata est, priore prævalente. (2) Scaliger eam *linguæ Latinae abortum*, Meyerus *spumam* appellavit. (3) Specimen linguæ rusticæ Gallorum Cis Alpinorum ex l. 9. §. 3. de *Jure dotium* a Cujacio, Alferra & D. Gothofredo male intellecta. (4) Trans Alpinorum ex Lipsio *cent. 3. ad Belgas epist. 44.* (5) Cur Gallia occidua *Francia Romana*, apud Luitprandum; *Francia Latina* a Wippone, & *Gallia Romana* a Reginonis continuatore appellata. (6) de Gallorum veterum vocibus & characteribus Græcis Cæsar lib. vi. c. 14. & Strabo lib. iv. pag. 181. (7) Origo a Massiliensibus vulgo, cum Henr. Stephano repetita, ut *tuer* sit a *θύειν*, *parler* a *παραλαλεῖν*, *graver* a *γράφειν*, *sifler* a *σιφλόζειν*, *baston* a *βάσσον*. Sed (8) Reinesius lib. iii. Var. lect. c. 17. *Novimus, qui nuper adstruxerint, Plinio, si Diis placet, auctore, Gallos Saxonico idiomate aliquando locutos fuisse. Non minore studio fategit libris quinque*

que, de prisca Celtopædia, Joh. Picardus Tonterianus, ut Gallos à Græcis descendere probare posset, Gallicismum hodiernum è Græcia accersere (tolerabilius est, quod Budæus & Baysius inde concluderunt, Gallos veteres fuisse Φιλέκωνας) sed eum merito castigat Barthius, inductis lib. 13. c. 8. tot exemplis vocum Gallicarum, quas à Latina Italicæ, tum etiam Germanica lingua transsumtas esse, nemo negare possit. (9) Origines Germanicas linguæ Gallicanæ agnovit Scaliger in Scalig. p. 239. du Frene, Menagius, easque mille exemplis Joh. Henr. Ottius in Franco-Gallia ostendit. (10) Vid. Pezron antiquité de la nation & de la langue des Celtes.

§. XXIV: Inter varios idiotismos eminent Francicus, cultura, elegantia & suavitate; vincitque linguas sorores, Italicam atque Hispanicam, sive copiam verborum, sive usum latissimum spectes.

(1) Tot dialecti, quot provinciæ: Francismus, Walonismus, Pictonismus, Vasconismus, Britonismus, vid. Scaliger in opusculis postumis pag. 119. & Merula Cosmogr. p. 2. lib. 3. c. 15. (2) Academia Francicæ, ad puritatem & majestatem linguæ, a Richelio A 1635. institutæ, leges & privilegia ex Pellissonii Hist. Acad. Franc. Paris. 1701. (3) Laus Malherbii, Moliere, Boileau, Bellegarde, Coeffetau, Patru. Balzaci, Vaugelasii, Bouhoursii & Menagii, ex libro *le genie de la langue Françoise*, & Sorelli *Bibliothèque Françoise*. (4) Caroli V. judicium: *Espannola grave, Francesa melindrosa, ridicula Italiana; Tosca Allemanna*. (5) Studium propagandæ

dæ linguæ quorsum spectarit, indicat Grot. append. epist. 519. *Cardinalis Riceliacus, in urbe ac Academia sui nominis, artes & scientias voluit doceri sermone Gallico, ac sic ejus sermonis non minus, quam imperii prolatare limites.*

§. XXV. Ab annis MDC. Regnum hoc, præ ceteris Europæ provinciis, schola humanitatis, doctrinæ & elegantiæ fuit: Carolus Magnus & Franciscus I. Patres litterarum, collapsa studia postliminio restituerunt; & nunc, sublatis studiorum præmiis, opus est Ministro, qui mutata in gradum reponat.

(1) Initia laudabilium doctrinarum a Bardis & Druidibus, ad quos magnus adolescentium numerus concurrebat, discipline causa, ait Cæsar lib. VI. de B. G. c. 13. (2) Massilia, Græca comitate & provinciali parsimonia ad studia litterarum iis bene composita, ex Strabone lib. IV. p. 181. Cicerone pro Flacco c. 26. Justino lib. 43. c. 4. & Taciti Agric. c. 4. (3) Scholæ municipales Lugduni, Burdigalæ, Augustoduni, & Remis apud Ausonium. (4) Professores in metropolitanis urbibus frequentes, eorumque annonæ lautissimæ, ex l. II. C. Th. de Profess. & Eumenii exemplo, de quo Casaub. ad Sueton. Othonem c. 4. & Gronovius de pec. vet. pag. 330. (5) Franciscum post obitum Parentem litteratorum dictum, Ferronius lib. 9. sed Lipsius aliter ad lib. 2. Polit. c. 17. *Franciscum Regem I. & Leonem X. qui avide literas excitaverunt, in cælum tollimus. Si propositum, merito; si finem & successum, ambigo. Quia revera alter Galliam, suam, alter Italianam cultiorem amœnioremque reddidit,*

didit, sed una & molliorem, Quid bonæ spei reliquum, ubi etiam femina passim in literis?

§. XXVI. Ingeniorum fertilitatem regalis quondam munificentia auxit: unde olim stupendi progressus in Jurisprudencia antiqua, in historia Ecclesiastica & civili, in eloquentia, in antiquitatibus Francicis, atque in experimentis anatomicis, chymicis & mathematicis facti.

(1) Inter *ſctos* Cujacius, Hotmanus, Donnellus, Duarenus, P. Faber, Balduinus, Connanus, Mornacius, Tiraquellus, Molinaus, Fabrotus, Contius, Merillius, Janus a Costa, Pithœi, Fornerii, Briffonius. (2) Inter *litteratos* Budæus, Turnebus, Salmaſius, Muretus, Casaubonus, Bochartus, Menagius, Montfauconius, Harduinus, & omnium princeps Joſephus Scaliger. (3) In historia *Eccleſiaſtica*, Cironius, Alteſerra, Dartiſius, Sirmondus, Petrus de Marca, Cointius, Mabillon, d'Achery & Martene. (4) In *civili Francica*, Valeſii & Puteani fratres, Thuanus, Sautmarthani, du Chenii, Gothofredi, Daniel, Mezeray, aliique. (5) In *philosophicis* Gaſſendus, Carteſius, Malebranche &c. (6) Gallos *eloquentia* claros P. Pithœus in præfat. ad Quintiliani declamat. & Varus de eloquentia Gallica celebravit. (7) Argute loqui proprium Gallorum eſſe, ait Charifiſius, & Juvenalis Sat. 7. *accipiat te Gallia, vel potius nutricula cauſidicorum Africa.* (8) Julius Cæſar Scaliger de ſubtil. exerc. 167. *Gallos video ad omnia momenta vel eventuum, vel diſciplinarum promptos, paratos,*

versatiles: ut semel quicquam vel visum, aut auditum, illico apud eorum ingenia & deponat, & amittat novitatem. In eo ipso penitus exemplo videntur nati atque educati. Qui animorum vigor igneus maturaque celeritas nulli alii nationi data est a natura. Quoquo incubuere felicissime sese dant, ocyssime proficiunt: gnaviter egerunt mercaturam, artes, arma, literas, eruditionem, subtilitatem, candorem, eloquentiam.

§. XXVII. Academias habet XVIII. quarum celebriores fuerunt: Bituricensis, Aurelianensis, Montispeffulana, Nannetensis, Burdigalensis, Tholosana, omniumque mater & caput Parisiensis: sed animis civium ad alia conversis, plerique Professorum vacua in aula dominantur.

(1) Monachus Egolismensis in Vita Car. M. p. 53. Carolus Roma artis Grammaticæ & computatoriæ magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium literarum expandere jussit. Ante ipsum enim in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium. (2) Mornac. ad Auth. Habita C. ne fil. pro patre, Parisiensem A. 791. à Carolo M. conditam jactat. (3) Alii ejus initia ad finem seculi XI. referunt. (4) At vix ulla studii universalis notitia ante seculum XIII. ut Lambecius præclare, cum aliis, docuit T. 2. Comm. de Biblioth. Vindob. c. 5. p. 261. Vid. Launojum de Scholis celebr. a Carolo M. inst. & Bulæum in Histor. Univers. Paris. t. 1. pag. 91. seqq. (5) Parisiensis Theologiæ imprimis, Bituricensis & Aurelianensis Jurisprudentiæ, Montis-

rispeffulana Medicinæ confervatrices. (6) Collegium Sorbonicum, & Navarrenfe. De illo à Roberto Sorbon, tempore Lud. XI. instituto, Mornacius ad l. II. D. Locati: *Nobiliffimum potentiffimumque in iis, quæ ad religionis Chriftianæ doctrinam, collegium eft, unde innumeri prodire athletæ, qui vita, ingenio literarumque peritia ingentes, mirabilem femper tanti collegii famam, quæ in hunc diem fine labe, per omnes Chriftiani orbis plagas, fuccedaneis invictisque prorfus assertoribus distulerunt* &c. (7) Apparatus bibliothecarum. V. Boivini Differtation historique fur la bibliotheque du Louvre, parmi les Memoires de Litterature t. II. pag. 747. (8) Typographiam Regiam Franc. I. fundavit, Ludov. XIII. perfecit.

§. XXVIII. Societates quædam literariæ Academia quoque nomen adoptarunt, ut *Academia infcriptionum & literarum elegantiorum*, & *Academia Regia Scientiarum*: quibus aliæ mathematicæ, ut *architecturæ, picturæ, fculpturæ, & rei navalis*, etiam in provinciis, addi poffunt.

(1) Academia infcriptionum A. 1653. instituta, a Ludovico XIV. legibus & honoribus aucta A. 1701. & 1713. Membra ejus vide Etat present de la France t. 4. pag. 671. (2) Regia Scientiarum A. 1666. inaugurata, A. 1699. & 1713. instaurata. (3) Laudetur Ludovicus XIV. quod excitandis in regno fuo artibus, & disciplinis mathematicis, & educationi Gallicæ nobilitatis utriusque fexus, & reliquæ juventutis eruditis undique conquisitis, & præmiis propofitis.

fitis, fuit intentus. Vide les Medailles sur le Regne de Louis XIV. pag. 72. 87. 102. 119. 191. 220. (4) Symmachus lib. 1. epist. 64. *Scimus, bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis reip. ut disciplinarum Professoribus præmia opulenta pendantur.*

§. XXIX. Agri, vineæ, mori & ovium culturam partim Henrici IV. & Ludov. XIV. prudentia, partim incolarum copia & ingenium promovit; ad mille enim novas vestium, mundi, supellectilis, & mercium formas versatiles, variis opificiis, ceteris nationibus palmam dubiam reddiderunt.

(1) Inter opera manuarum Parisiensia, Lugdunensia, Tholosana & Limogæa est pannus aureus, laneus, holosericus, pilei castorei, specula, vitrum, fila, lintea, textilia, charta, operæ chalybejæ, tapetes, capillamenta, aliaque luxus fomenta, *bijouterie, clinquallerie*, maxime sexus elegantioris. (2) Sex corpora mercatorum Paris., & centum viginti quatuor communitates artium ibidem privilegiatæ; de quibus Savary dictionnaire universel de commerce voc. *commerce, communauté, gobelins, savonnerie, glaces, tapisserie & teinture.* (3) Auctores libri des medailles sur le regne de Louis le Grand pag. 81. plene enarrant, quo modo Ludovicus XIV. industriam civium excitavit ad manuum operas, felicissimo successu. (4) Qua ratione otiosi cives A. 1700. ad opus faciendum revocati sint, edicto publico, vide ibidem pag. 281.

N

§. XXX.

§. XXX. Ipsa natura regni, maria, fluvii & portus, ad commercia ultro invitant nationem solertem; quæ non tantum vindemia & messe sua levat sitim famemque exterarum nationum, sed etiam nugarum pretiosos emtores diu aluit, in Europa, Asia & Africa, maximo sui incremento.

(1) Catalogus accuratus mercium, ex singulis provinciis apud Savary dictionaire universel de commerce tom. I. pag. 830. seqq. (2) Tractatus commerciorum & pacta Regum, ex Boddino lib. I. Rep. c. 7. (3) De societatibus mercatorii, *bourses*, *Caisse d'empruntes*. (4) Confules mercatorum in Hispania, Lusitania, Italia, Athenis, Cypri, Smirnæ & alibi. (5) Saa-vedræ, Hispani, locus memoratu dignus est, Symbol. Polit. 68. pag. m. 580. *Gallia*, inquit, *nec auri nec argenti fodinas habet, & mercimoniis tamen aliisque, nescio quibus, puerilibus inventis, ferri, plumbi & stanni temperandi, industriam suam caro facit estimari pretio, & divitias congerit. Nos vero per incuriam tanta maris bona negligimus. Ingenti cum labore & periculo ex remotissimis orbis partibus adamantes, uniones, aromata, multosque alios thesauros advehimus, nec ultra progredimur: interim alii e labore nostro questum faciunt, & ea Europæ, Asiæ, & Africæ provinciis communicant.*

§. XXXI. Verum cum ejectis Hugonottis pulsa quoque sunt officina, commercia, monopolia, artes atque divitiæ;

vitæ; & luxu invalescente, inter turbas bellorum, ac intestina mala, fides quoque publica prostrata jacet.

(1) Plures causæ commercii prolapsi: infra-
 cta libertas civitatis & conscientiæ, bella assidua
 Lud. XIV. æmulatio vicinorum evigilantium,
 crebræ mutationes valoris nummorum. (2)
 Affientò pace Trajectina ad Anglos translatum.
 (3) Pecunia chartacea, & institutus A. 1716. a
 Joh. Law. Bancus regius 110. millionum, quam
 futilibus rationibus innitantur. (4) Ejus ratiocinatio
 super commerciis & pecunia examinentur.
 (5) Cur hoc pestilenti fidere adeo afflari potuerit
 tanta pars Europæ. (6) Templii reflexions
 sur les Provinces unies c. 6. & Branchu Observat.
 decad. 2. pag. 66.

§. XXXII. Nobilitatis Francicæ tres
 vulgo gradus constituuntur; alii enim
 sunt simpliciter nobiles, *Gentils hommes* & *Ecuvers*; alii altioris dignitatis
Dynastæ & *Equites*, *Seigneurs* & *Chevaliers*: alii denique supremæ nobilitatis,
 ut *Principes sanguinis*, *Duces* &c.

(1) Cæsar lib. VI. de B. G. c. 13. *In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo: alterum Druidum, alterum Equitum.* (2) Franci similiter in duos ordines Clericorum & Laicorum divisi. (3) At Seniores tantum & natu majores, non vero corpus nobilitatis à plebe fuit distinctum. (4) Quando id cœperit. (5) Quibus modis nobilitas Francica hodie acquiratur, obfuscetur aut

amittatur. (6) De Nobilium laude, vituperio & privilegiis, vide Tiraquellum de Nobilitate: sed cujus nonnulla forte risum movebunt.

§. XXXIII. Feuda majoris nobilitatis sunt Ducatus, Marchionatus, Principatus, Vicecomitatus, Baronatus; quæ initio temporaria fuerunt, sed ab Hugone Capeto hereditaria facta.

(1) Feudorum inventores Francos vidimus supra pag. 71. & Milidunum castrum a Clodoveo *jure beneficii* concessum. (2) Nomina Ducatus & Comitatus a Romanis, Marchionatus & Baronatus a Germanis. (3) Ducum Galliarum cunabula, incrementa, functiones, prærogativæ, regalia & casus, sub Ludovico XI. & XIII. (4) Titulus Dei Gratia ipsis negatus, corona relicta, Vid. Chopinus *de dominio Regum Franciæ*, & Alteserra *de Ducibus & Comitibus provinc. Gallie.*

S E C T I O IV.

De Statu Ecclesiastico.

§. XXXIV. Religionem Christianam Clodoveus A. ccccxcvi. 8. Kal. Jan. cum ter millibus militum, amplexus est; illamque ejus successores ab Ariana labe non modo puram custodivere, sed ad ceteras etiam nationes propagarunt.

(1) Pri-

(1) Primordia Ecclesiæ Gallicæ alii ad Apostolorum ætatem, ex. 2. *Timoth. cap. 4.* alii vero ad Decii, aut Marci Aurelii tempora revocant, vid. Marca epist. ad Vales. *De tempore, quo primum in Gallis suscepta est Christi fides.* (2) Clodoveus a Patribus Concilii Aurel. I. A. 511. *Catholicæ Ecclesiæ filius* appellatus est, propter repudiatos idolorum cultus. (3) Ejus votum, exeunte seculo quinto, in prælio ad Tolpiacum, Greg. Turon *lib. 11. c. 30.* his verbis conceptum refert: *Elevatis ad cælum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis, ait: Jesu Christe, quem Chrotildis prædicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito; ut si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero virtutem tuam, credam tibi, & in nomine tuo baptizer.* (4) Unde orta videatur pia fabula, de Ampulla S. Remigio, ad unguendum in baptismo Regem, cælitus missa, vide conjecturas Chiffetii *de Ampulla Remensi cap. 14.*

§. XXXV. Franciam celebrant xviii. Archiepiscopi, cx1. Episcopi, Abbatissæ cclx. & dccl. Abbates, quos Rex, paucis exceptis, nominat, vi summi imperii, ac Pragmaticæ Sanctionis Caroli vii. & Concordatorum inter Leonem x. & Franciscum I. Nominatos Papa Romanus confirmat.

(1) De motibus ob Sanctionem Caroli vii. v. Duaren. de SS. Eccl. min. lib. 5. c. 11 (2) Concordata de A. 1516. Kal. Jun. apud Leibnit.

Mantissa. Cod. juris gent. pag. 161. & 335. seqq.

(3) Gregorius Turon. lib. v. Hist. c. 19. Chilpericum alloquens, Episcopos ab antiquo Regi subjectos, testatur: *Si quis, inquit, ex nobis aberraverit, a te potest emendari; si vero tu excefferis, quis te corripiet? Loquimur tibi, sed si volueris audis; si vero nolueris, quis te condemnabit, nisi qui se justitiam esse pronuntiaverit?*

(4) De primatu Lugdunensi & Remensi, Petrus de Marca de Primatibus (5) De 116. diocesisibus, 102. Episcopatibus & 14. Archi Episcopatibus sui temporis, Josephus Scaliger in Notitia Gall. & Massonus in Notitia Episcopatum conferendi. (6) Mornacius ad l. 3. D. de Just. & jure: *Unum adjecerim, atque ex veris: esse nimirum in universa ditione regni Gallici viginti quatuor millia parœciarum supra octingentas.* (7) Regum erga Episcopos reverentia in consilium adfcivit Clerum. (8) Jus regaliarum. (9) De pretio bullarum Rom. acciso, Grot. Epist. 976. 977. (10) Cardinales Galliae de Noailles, Rohan, Polignac, Bissy, Gesvre &c. Vid. l'origine des Cardinaux François.

§. XXXVI. Nuspiam terrarum Pontifex Romanus tutius habuit asylum, & colitur ut Deus, sed inermis, & quatenus utilis esse potest: nullibi etiam magis accisa est ejus auctoritas, & libertas Ecclesiastica defensa, asserta Regi Christianissimo suprema in res & personas Ecclesiasticas auctoritate.

(1) Senatusconsultum Parlamenti A. 1406. contra abusus annatarum apud Leibnit. Cod. dipl. part. I.

part. 1. pag. 283. (2) Controversiæ inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum ex *c. unam Sanctam extravag. comm. de Majorit.* juncto *c. meruit de privileg.* (3) Ludovici XII. nummus in Julium II. cum elogio ex Esa. XIV. 22. *Perdam Babylonis nomen*, male ab Harduino Op. pag. 905, explicatus. Vid. eundem in add. notarum ad Plinium & Grotium epist. 574. Thuan. l. 1. p. 8. (4) Minæ Lud. XIV. ob violatum Romæ Ducem de Crecquy A. 1662. Aliæ ob excommunicatum ab Innocentio XI. Lavardinum A. 1687. propter jus Quarteriorum. Vid. Legatio Marchionis Lavardini Romam. (5) Libertatis Ecclesiasticæ initia, progressus, fundamentum, ex Ludovici S. Caroli VII. & Franc. I. sanctionibus pragmaticis. (6) Ejus assertores strenui: Doctores Sorbonici, Richelius, Pithœus, Puteanus, Launojus, du Pin, Richerius, & Petrus de Marca, quem vide lib. III. de Concord. regni c. 1. (7) Hujus & Caroli Mosinæi, Jéti, ob eandem causam tristia fata apud Thuan. l. VI. A. 1550. Baluzium in vita Petri de Marca & P. Zornium de libert. Eccl. Gall. (8) Notabilia verba sunt Caroli Cardinalis Lotharing. apud Launoj. p. 1. ep. 1. n. 32. *In Parisiensi Academia tenetur, Romanum pontificem subesse Concilio, & qui docent contrarium, ii tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus suis partibus generale habetur, Basileense in auctoritatem admittitur, Florentinum perinde ac nec legitimum nec generale repudiatur. Atque idcirco de vita potius, quam de sententia decederent.* (9) Expulsi Jesuitæ quibus conditionibus A. 1603. sint recepti (10) Bulla *Unigenitus Dei filius* A. 1713. a. d. 16. Oct. occasione doctrinarum Pascasii Quen-

nelli evibrata. (11) Fata AEpiscoporum de Noailles & de Maillis.

§. XXXVII. Semina religionis Reformatæ sub Francisco I. late diffusa, ab Henrico IV. per Edictum Nannetense firmata sunt : sed Liga sacra, atrox Laniena Parisiensis, obsidio Rupellana, & malignitas consiliorum sub Ludovico XIV. sacra instaurata extirparunt.

(1) Hugonotæ, A. 1560 a spectro Hugone, alias & Sacramentarii, Calviniani, libertini, Parpaillaux disti. (2) Factiones Catholicorum, Politicorum & Zelotarum illis, tempore Francisci I. Caroli IX. Ludovici XIII. & XIV. perniciosæ. (3) Huguenots de party, & Huguenots d'etat. (4) Ligæ sacræ & Lanienæ Paris. A. 1572. d. 24. Aug. historia. (5) Naudæus hanc defendit, in arcanis : invitus etiam Christophorus Thuanus, filio improbante lib. 52. Hist. (6) Perronius vaferrimus & juratus partis Reformatæ hostis. (7) Henrici IV. transitus ad religionem Pontificiam, & ridicula ejus absolutio, ab AEpiscopo primum, dein à Clemente VIII. per procuratores obtenta. Vide Thuanum, Ofsati lettres cum notis Ameloti, d'Aubigné in Confess. Cath. de Sancy & Rechenberg. Historia absolut. Henr. IV. (8) Henrici IV. Edictum Nannetense A. 1598 promulgatum, à Ludov. XIII. A. 1614. firmatum, à Ludovico XIV. revocatum A. 1685. Vid. Hist. Edict. Nannet. & ejus summam apud Limn. Notit Franc. lib. 3. c. 8.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Equitum sacrorum quatuor sunt ordines: *S. Michaëlis*, *Spiritus Sancti*, *S. Ludovici*, quorum supremus magister Rex est, & Ordo de *S. Lazare de Jerusalem*. Templarii à Clemente V. & Philippo Pulchro A. MCCCVII. crudeliter sublatis sunt.

(1) Ordo S. Michaelis Archangeli institutus a Ludovico XI. A. 1469 confirmatus ab Alexandro VI. apud Leibnit. Cod. juris gent. p. 1. pag. 476. instauratus à Lud. XIV. A. 1665. (2) Ordo S. Spiritus ab Henr. III. A. 1579. ejus leges apud Leibnit. Mantiff. Cod. p. 2. pag. 39. privilegia apud du Chene *Recherches historiques de l'ordre du S. Esprit*. Nomina membrorum habet P. Ange t. 3. Etat present de la France pag. 268. (3) S. Ludovici ordo militaris a Ludovico XIV. A. 1693. & 1719. laute dotatus. (4) Ordinem S. Lazari Ludovicus S. e Palestina in Galliam deduxit, Henricus IV. cum ordine Montis Carmelis A. 1608. conjunxit, firmavit Ludov. XIV. A. 1664. (5) Veræ causæ Templariorum A. 1307. d. 13. Oct. sublatorum, sunt: Philippi Pulchri avaritia, vindictæ cupiditas & collusio cum Clemente V. qui eundem abrogavit A. 1312. d. 3. April. (6) Utriusque mors singularis. (7) Acta ad condemnationem pertinentia Leibnit. collegit in Mantiffa Cod. p. 2. pag. 76. (8) Judicium de iis, vide in Puteani Historia postuma *condemn. Templar. Gurtleri Hist. Templar. Bœcler Excerpt. contr. ill. exempl.* 4. t. 3. p. 455. Mariana lib. xv. c. 10. Mezeray. t. 2. p. 333. (9) Catalogus Magistrorum, quorum postremus Jacobus No-

lay rogo dicatus, apud Frenium in *Templariis*.

S E C T I O V.

De Administratione summi Imperii.

§. XXXIX. Parium Franciæ dignitas annexa est terris regni feudalibus, & in Regum inauguratione, privilegiis atque præcedentia, umbra quædam pristinæ eminentiæ superest. Olim in Parlamento Parisiensi sessionem habuerunt: hodie coram hac sola Parium curia, qua tales, conveniuntur.

(1) Initium sub Capetianis, nomen à paritate: non a Patriciis, ut Budæus, Turnebus Chopinus alique. (2) Sunt Clerici vel Laici, Duces vel Comites. (3) Numerus olim duodenarius, ex instituto Ludovici Sancti: hodie quadruplo major, in *Etat de la France* t. III. pag. 255. (4) Ludovici XII. dictum, apud Guicciard. l. 4. *Potentum depreffione suam securitatem firmari*, à Ludovico XIII. opera Richelii observatum. (5) Scaliger *Epist. ad Merulam: Pares Franciæ XII. Sex Clerici, quorum tres duces: Remensis Archiepiscopus, Laudunensis & Lingonensis Episcopi. Tres Comites clerici: Catalaunensis, Noviomensis & Bellovacensis. Sex Laiciorum tres Duces: Normanniæ, Burgundiæ, Aquitaniæ. Tres Comites: Campaniæ, Flandriæ, Tolosæ. Omnes illi non possunt esse sub alio Parlamento,*

mento, quam Parisiensi, cujus ipsi consilarii sunt.

§. XL. Ad comitia regni rariora, *Assemblées des Etats du Royaume*, triplex ordo vocatur: Ecclesiasticus, Nobilium & Plebejus: *Le Clergé, la Noblesse & le Tiers Etat*; ut tamen & eorum convocatio, & decretorum confirmatio a Regis arbitrio pendeat.

(1) Conventus Francorum Majorum & Minorum antiquus, *Placitum, Campus Martis*, vel *Maji*. à patente campo, & quia sub dio habebantur. V. Cangius in v. *Placitum, Campus*. & Rivini diff. *de majumis*, & *maicampis* c. 8. in Synt. differt. Crævii. (2) Error Hotomanni in Francogallia c. 18. credentis, summam potestatem apud hoc concilium fuisse, Vid. Hert. Notit. Franc. c. 5. §. 6. (3) Inter causas, cur comitia indicta, præcipuæ, ut incumbentibus bellis Regi auxilia pecuniaria præberentur, vel si Regi minorenni Curatoribus opus, aut vitia & abusus sint tollendi.

§. XLI. Legum Romanarum antiquus usus. Hodie Gallia in provincias juris scripti, & consuetudinarias dividitur, quarum illæ ab his numero & amplitudine superantur.

(1) Agathias lib. 1. de Imp. Just. *Frauci politica ut plurimum utuntur Romana, & legibus iisdem: eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem, & divini numinis cultum tenent.* (2) Usus Codicis Theodosiani in Gallia ex Sidonii lib. 2. ep. 1. Greg. Turonens. l. 4. c. 47. Cironii

ronii Obs. jur. can. lib. 5. c. 6. & 7. & J. Gothofredi proleg. Cod. Th. c. 3. & 7. (3) Regionēs, quæ utuntur jure scripto, apud Mornacium ad l. 1. D. de Petit. hered. & Duck de auct. jur. civ. lib. 2. c. 5. §. II. & 12. (4) Quare Honorius 111. vetuerit jus Romanum in Academia Paris. doceri c. 28. X. de Privil. (5) Bodini observatio, jus Rom. in subsidium esse receptum lib. 8. de rep. c. 8. ex Thuauo lib. 35. firmata: scribit enim Hospitalium, Caroli 1 X. Cancellarium, in oratione, coram Rege habita, *cum præfatione & petita venia ex ff. Justiniani vulgarem juris regulam adduxisse* (6) Mornacius, & Imbertus, discrimina juris Rom. & Gallici indicarunt; tamen Ranchinus lib. 2. Var. lect. c. 3. *Nullum hodie regnum, est, ait, quod incerto magis jure utatur, quam hoc nostrum. Hujus rei causa non una: sed præcipua infrenis illa licentia Magistratum & Judicum, in controversiis dijudicandis, quam sibi arrogant, malo more, dum leges Romanas, non quasi leges, sed nudas rationes sibi sequendas esse autumant.*

§ XLII. Jus consuetudinarium municipiorum, Caroli VII. auspiciis in scripturam redactum, variis populis ortum debet: cui Franci scriptas Leges Salicas, Carolus M. cum posteris Capitularia, Ludovicus XIV. Codicem Ludovicianum addiderunt.

(1) Romanus *Romana*, Burgundus *Gundobada*, Wisigothus *Gothica*, Salius *Salica lege* utebatur. (2) Lex Salica unde dicta, quo tempore & loco condita sit, olim & nuper Leibnizium

tium inter Gundlingium & Eccardum, Viros Celeb. est disquisitum. (3) Verba tit. 62. §. 6. *De terra Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terræ hereditas perveniat*, ad terras Saliorum pertinere, optime du Frene diff. 17. ad Joinvillam docuit. (4) De Capitularibus Regum secundæ lineæ erudite Baluzius, in præfatione suæ editionis. (5) Henrici III. consilium, de novo Codice faciendo, nece Briffonii interruptum: (6) Codex Ludovicianus A. 1667. compositus, & laudatus in Medailles du regne de Louis XIV. pag. 94. (7) Scriptores consuetudinarii, Chopinus, Molinæus, Boërius, Argentæus, & Rebuffus, qui in tract. de consuetud. art. 2. gl. 14. *Et utinam, inquit, unus esset omnium Franciæ Curiarum stili: nam tot consuetudines diversæ & stili perturbant ingenia hominum.*

§. XLIII. Quum leges aliæ supra alias, adversus singulare certamen cumulatae, diu irritæ fuissent, idem Ludovicus XIV. A. MDCLXII. ipse sibi legem dixit, nulli veniam delicti concedendi, quam Ludovicus XV. jurejurando firmavit.

(1) Impiam illam gentis consuetudinem tollere annixi sunt Pontifices, Episcopi, Concilia. etiam Ludovicus S. Henricus IV. Ludovicus XIII. aliique apud Bodin. lib. 4. de rep. c. 17. Thuan. lib. 129. Mabillon lib. IV. de re diplom. c. 30. §. 1. ac pluribus du Frêne diff. 29. ad Joinvillam *de guerres privées & du droit de guerre.*
 (2) De Ludovico XIV. vide Medailles sur
 Louis

Louis le Grand pag: 67. (3) Nimis audacter Loifeau des ordres ch. 5. n. 17. *Inter nobiles Gallie semper hoc malum retinebitur.*

§. XLIV. Quoniam Galli sunt litium amantes, multis judiciis inferioribus, mediis & superioribus opus est: posteriora *Parlamenta* vocantur, & numero sunt duodecim: quibus consilia suprema Colmarie, Perpiniani & Atrebatii, in provinciis acquisitis, adungi possunt.

(1) *Parlamentum* (a *parabolare*, *parlare*, *solennter colloqui*, dictum) initio unicum *Parisiense*, a Philippo VI. A. 1344. statarium factum, ut Thuanus scribit lib. x. & plenius Budæus ad *l. ult. D. & Mornac. ad l. 2. de Senat.* (2) Ejus fama justitiæ antiqua: quando solis litibus addictum. (3) Decem Præsides habet, quorum nomina, vestitus &c. in l'Etat de la France tom. 4. pag. 250. & seqq. (4) Præter hoc olim septem tantum alia Parlamenta, quæ jus reddabant provinciis suis, quorum initia Scaliger, in Notitia Gallie & Mornacius ad l. 1. D. de Off. Præsidis explicarunt. (5) Scaliger Epistola ad Merulam: *Parlamentum Parisiense constabat antiquitus ex LXXVII. Senatoribus & XII Paribus Gallie; itaque omnino erat centumviralis Senatus regni Francie, idem solum Parlamentum Parisiense est Parlamentum Parium Francie: qui apud id solum Parlamentum conveniri & causam dicere, & si opus est, condemnari possunt.* (6) Undecim reliqua sunt: *Tholosanum, Burdegalense, Aquense, Gratianopolitanum, Divionense, Re-*
donen-

donense Palense, Metense, Duocense, & Vesontinum. (7) Amor litium & judiciorum Gallis exprobratus a Bodino lib. v. de Rep. c. 1. & vi c. 2. (8) Inde tot Judices, Advocati, Notarii, Procuratores, & ordo judiciorum a Ludovico XIV. emendatus, in *Ordonnance donnée a S. Germain A. 1667.* Vid. Medailles sur le regne de Louis ad A. 1688.

§. XLV. Nundinationes Magistratum inter turpissima Gallorum vitia vulgo numerantur; & repugnant regulis prudentiæ civilis, quoniam præmia auferunt dignis; non vero juri naturæ; quia nemo jus perfectum ad eos habet, nec aptitudo in puncto consistit.

(1) Magistratus inde a Philippo Valesio perpetui, ante annui, more antiquo Heduarum, de quibus Cæsar lib. 7. de bello Gall. c. 32.

(2) Ludovicus XI. bello civitatem premente ad septennium munera vendidit; Franciscus I. in perpetuum, Præturas venales proposuit; sic sensim omnia sunt venalia facta. (3) An illa Fiscii industria carpenda sit, Loiseau du droit des offices l. 3. c. 1. n. 97. Thuan. lib. 132. Barclajus Icon. anim. c. 3. & Bodinus lib. v. de Rep. c. 4. & vi. c. 2. fuse inquirunt. (4) Quidam magnum Gallorum animum ex ambitu honorum probant.

§. XLVI. Pars summæ majestatis, quæ in federibus, legationibus, belli pacisque negotiis consistit, ab ipso Rege, in sanctiore status concilio, & ad

ad ipsius nutum per collegia civilia, militaria, criminalia & domanialia expeditur.

(1) An Franciscus I. ejusque successores Lud. XI. & XIV. A. 1684. recte cum Turcis foedus iniverint, adversus Christianos. Vid. Gramond. lib. III. ad A. 1618. Grot. 1. 2. c. 15. §. 8. (2) An durare potuisset foedus, ab Henrico IV. delineatum, si vires accepisset? Vid. Memoires de Sully t. 2. p. 413 Grot. dict. cap. 15. §. 12. (3) Foederum cum Helvetiis initorum ratio, & initia sub Carolo VII. A. 1453. & progressus apud Leibnit. C. dipl. p. 1. pag. 405. 427. 430. (4) *Recueil des traitez de confederation & d'alliance, entre la couronne de France, & les Princes & les Etats étrangers; depuis 1621.*

§, XLVII. Ad ærarium nummis implendum, magna semper in Gallia messis, & messorum strenui: inde auri, quod in venis suis non habet, largissimus proventus, ex monopolio salino, venditione munerum, charta signata, vectigalibus, domaniis, assisia, tributis, moneta, &c. &c. ad annuam summam 150. millionum flor. quam dispensat *le Conseil Royal des finances.*

(1) Gallorum divitiæ sub Romanis, ex Lipsio lib. II. de Magn. Rom. c. 3. & 12. (2) Francorum paupertas sub Clodoveo, ex Gregorio Turon. Præfat. 1. v. Histor. Sub Ludovico S. ex Matthieu Hist. de Louis XI. liv. II. p. 708.

708. seqq. minor sub Francisco, ex Mezeray in fine ejus vitæ. (3) Ea Sullii, Vaubani, Richelii, Mazarini & Colberti vigilantia penitus depulsa est; vide Sully *Oeconomie Royale*, item *Proces & Recueil de defense de Mr. Fouquet*, Sebastian de Prêtre, Seigneur de Vauban *des dimes*. Rigaltii consilium. (4) Richelii locationes hereditariæ bonorum domanialium, & horum privilegia, ex Frenio in *Fiscus regius*, & Chopino *de domanio Franciæ* (5) Mazarini monitum ex Sueton. Vespas. c. 16. *ut Rex siccos madefaceret, & exprimeret humentes*. (6) Vectigal salinarum antiquum. vid. Cujac. lib. 3. Obs. cap. 31. Gallis vero ignotum ante A. 1318. v. Mornac. ad l. 11. C. de Vectig. Bodinus lib. VI. de Rep. c. 2. *Nostri ætate A. 1540. in salinis Pictonum modius salis, qui duobus aureis emi solebat, Parisiorum mensura, nunc viginti aureis emitur; vectigal tamen subditis duplo gravius, quam salis pretiam imperatur: quo fit, ut qui longius à salinis absunt, in Galliæ finibus, salis modium 100. amplius aureis sibi emere cogantur*. (7) In quantum reditus regni, qui sub Corolo VII. 180000. sub Ludovico IX. 470000. sub Ludov. XII. 2025000. franc. sub Henr. IV. 19. millionum fuerant, postea excreverint, docet Grotius epist. 1311. *Sperant ministri regis, Ludov. XIII. hujus Anni 1640. reditus, publicos perventuros ad 70. milliones & amplius. Clerus confert 180000. scutatorum: sedecim novi Magistri libellorum supplicum 2. milliones*. (8) De re nummaria Gallorum. Bouteroue, Constans & le Blanc traité des monnoyes de la France.

§. XLVIII. Quemadmodum Galli olim Romanorum fuerunt victores, &

O

Fran-

Franci in virtute militari felicitatem posuere, sic nec hodie ulli nationum armis cedunt: maxime autem valent equestri robore. Peditum inopiam Helvetiorum 30. aut 40000. auxilia supplere, immensis stipendiis & privilegiis olim conducta.

(1) Cæsar lib. III. de B. G. c. 19. *Ut ad bella suscipienda Gallorum alacer & promptus est animus, sic mollis & minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.* (2) Galliam animosam Claudianus appellat de 4. Conf. Honorii v. 392. & in laud. Serenæ: *dat Gallia robur militis.* (3) Insigne virtutis equitum Gallicorum exemplum, ex Hirtio de bello Afric. c. 6. (4) An militiæ vitandæ causâ Galli olim pollicem sibi præciderint? Aff. l. 5. C. Th. de Tiron. Negat Ammianus lib. xv. c. 12. (5) Vox *Poltron* Italis, Hispanis & Gallis usitata, non ab hac pollicis truncatione; ut Salmasius, Voffius aliique: neque à *Poltrone*, pullo, ut Menagius c. 3. Amœnit. sed à Germanico *polstre*, quod pulvinum notat. (6) Cur Helvetiorum auxiliis carere non possint, causæ variæ, à dominatu absoluto, & pulsis Hugonottis: tum etiam ne finitimi illos ad se majori stipendio pertraherent, ac peditum, quos optimos habet illa natio, legiones inde conscriberent, ait Bodinus lib. v. de Rep. c. 5. (7) Cominæus lib. VIII. c. 7. *Valgo jactatur, hoc natura Gallorum ingenium esse. scripseruntque Itali historiis suis, ut plusquam viri sint, in aggrediendis rebus, in deserendis vero ultra feminas imbelles.* Prius ego

sane

sane crediderim; sunt enim primo congressu pro-
fus intolerabiles equitis Gallicani impetus; sed
in recedendo nulla non mundi natio minus ani-
mosa est, quam cum domo proficiscitur.

§. XLIX. *Causas optimi exercitus*
 petimus à numero & genio nobilium
 ambizioso, plebis paupertate, absoluto
 & diuturno Ludovici XIV. imperio,
 ærario bene referto, seminariis milita-
 ribus, studiis mathematicis, multitu-
 dine ducum, hospitiiis vulneratorum,
 & præmiis veteranorum.

(1) Mos equites ex nobilibus sumendi, à
 Lipsio laudatus. (2) Res equestris in formam
 artis redacta, à Pluvinello, Ludovici XIII. stra-
 tore. (3) Architecturam militarem Sebastian-
 le Pêtre, dominus de Vauban perfecit. (4) Tor-
 neamenta, sæc. XII. hic instituta, à *tourner le*
cheval. Matthæus Paris. *confictus Gallicos* ap-
 pellavit. v. *Frene de l'origine & l'usage des*
Tournois, diff. 6. ad Joinvillam. (5) Quid sint
Gens d'armes. Mousquetaires à cheval; les che-
vaux legers; aliique constituentes *la Maison*
du Roy. v. P. Ange état de la France t. 2. (6)
 Prima institutio valetudinarii, totius Europæ
 maximi, debetur Henrico IV. quod Lud. XIV.
 stupendis sumtibus absolvit, A. 1671. Vide *la de-*
scription generale de l'Hotel Royal des invalides.

§. L. Ducum majorum nomina ita
 ascendunt: *Lieutenant Colonel, Mestre*
de Camp, vel *Colonel; Brigadier d'ar-*
mée, Marechal de Camp; Lieut. Gene-

ral d'armée, Colonel General de l'Infanterie, de la Cavalerie legere, & des Dragons; Marechal de France, & omnium olim primus, le Connetable.

(1) Connestabilis, quasi *Comes stabuli*, l. 3. C. *Tb. de Equor. collat.* Origo, jura, prærogativa hujus muneris, A. 1627. sublati, v. Jean le Feron *Histoire des Connestables.* (2) Marechalli vox non a *major caballus*, ut Turnebus lib. 28. adverb. c. 2. sed a *mar equus*, & *schalk* famulus. (3) Recentiores sunt Luxemburgius, Turenne, Boufflers, Harcourt, Villeroy, Villars, d'Estree, d'Huxelles, Tefé, Tallard, Berwick, Matignon, Bezons, Montefquiou &c.

§. LI. Maritima potentia non deficit regno; longe tamen infra terrestrem posita est: licet maria, portus, flumina nautis faveant, & Henricus IV. Ludovicus XIII. & XIV. opera Richelii, Mazarini, atque Colberti, navalia curæ habuerint; Carolus item II. e Britannia, nautas miserit, remiges, & Archithalassum.

(1) Causæ sunt; imperitia populi nautici, navium bellicarum defectus, & genius nationis, non satis pertinax, ad maris adversa (2) Caroli II. error politicus in *Histoire du tems* notatus. (3) Admiralli Galliae celebriores. Vita Casparis Castilionæi, & Casparis Colignii. (4) De Colberti vigilantia & moliminibus plura, ex ejus vita. (5) *Mazarinus in eo plurima se amasse professus est, præcipue fidem & curas, ac cum*

lima-

limatissimo iudicio plerisque mortalium ignotam sinceritatem: quem nemo & qui neminem unquam falleret, ait Priolus lib. XI. c. II.

S E C T I O VI.

De forma Imperii.

§. LII. Regum summa potestas sub primæ stirpis Regibus a Majoribus domus: sub Capeti & Philippi Valesii posteris, a Ducibus & Comitibus adeo temperata fuit; ut modus regni administrandi, similis pene fuerit hodierno Germanico, usque ad Ludovici XI. tempora.

(1) Caroli M. absolutum imperium recte à Bœclero assertum *de rebus Car. M.* (2) Hotmanus in Franco-Gallia contendit, penes Ordines ac populum semper summam rerum fuisse. (3) Verum Morisotus in Henrico M. ipsum, insolentis hujus tractatus editione, infamasse celebre suum nomen, scribit. (4) Adversarios etiam nactus est Massonium & Matharellum, qui *Francogalliam*, ait, *compositam esse, ab auctore bene poto, in aliquo œnopolio, & scriptum plenum furoris & insanie* vocat. (5) cui Hotmanus, sub nomine Matagonis de Matagonibus, stilo non satis modesto, monitoriale opposuit, ad quod Massonii responsio extat. V. Anti-Baillet t. 2. pag. 356. & Hert. Notit. Regni Franc. c. 4. §. 3.

§. LIII. Postquam vero Parium regni alii extincti, alii ad Ludovici XI. nutum omnia facere didicere, prudentia ministrissimorum, sub Ludovico XIII. & XIV. absoluta deinde Monarchia stabilita est, tot egregiorum facinorum mater; tamque artificiose adornata, ut vere regnetur.

(1) Cur Ludovicus XI. callidissimus, status quæstionem moverit Duci Britannia, ob titulum Dei gratia usurpatum, apud Favyn au théâtre d'honneur liv. 3. & Savaron *de la souveraineté du Roy.* (2) Idem *bon Roy, & mauvais homme* dictus, quia Regis majestatem constituit *bors de page*, ait Coquille in l'Histoire du Nivernois p. 124. (3) Tunc etiam, ducatus coronæ unitis, & Parlamento in curiam judicum converso, facile factum, ut libertatis olim amantissimi Franci, *non modo Regibus suis enixissime pareant, sed & eos, ut mortalibus angustiores, venerentur*, Jovius scripsit lib. xv. Hist. (4) An populi tanta sit veneratio & patientia dominantis, inquit Bayle in Louis XIII. lit. A. & Louvois Testament politique pag. 33. adde diss. de Unctione Remensi VII. pag. 383. (5) Sententia Sidneji, absolutam potestatem Regi non prodesse, sub examen vocata.

§. LIV. Quamvis autem Rex in exercitio jurium majestatis, absolutæ potestatis formula, *Car tel est notre plaisir*, pro omni ratione uti possit: ipse

ipse tamen legibus quibusdam se subicit, ex prudentia civili, utque umbra libertatis mortuæ imprudentibus obijciatur.

(1) V. gr. Fœdera, edicta & leges carent effectu, nisi a Parlamento in commentarios publicos relata sint. (2) Sibi jus dici patitur, ut Trajanus apud Plin. in paneg. (3) Non valent donationes regię, nisi litteræ à Thesaurario sint subscriptæ. (4) Jura coronæ & Majestatis alienari non possunt, vid. Chopin. de domino Reg. Franciæ. (5) Ameloti ad Offati lett. 8. de absoluta Regum majestate, testimonium.

S E C T I O VII.

De ratione status.

§. LV. Finis Reip. semper esse debuit, non Regis tantum, sed & primario populi salus: quamvis hæc, præ nimia gloriæ & latæ dominationis cupiditate, quandoque non satis observata esse videatur.

(1) Prius indicat Regis jusjurandum, pactio Confluentana, & Procerum conventus, usque ad A. 1614. herili imperio non convenientes.

(2) Posterius Francisci I. nummus, cum inscriptione, *Unus non sufficit orbis*, æmuli ejus symbolo *Plus ultra* oppositus: aliorum *Divide &*

impera, utet statua superba Ludov. xiv. (3) Quid obstiterit lato imperio affectato. (4) Cur Mazarinus provincias Belgicas adeo optarit, easque permutatione ab Hispanis acquirere conatus sit.

§. LVI. Hinc prætensiones in Imperium Romanum, regnum Austrasiæ, Lotharingiam, Angliam, Navarram superiorem, Castiliam, Arragoniam, Cataloniam, Neapolim, Siciliam, Sardiniam, Sabaudiam, Avenionem, Genuam, Mediolanum, Ducatum Florentinum, & in universum prope orbem, non sine jaëtantia, a Gallicis scriptoribus extenæ sunt.

(1) Galli veteres apud Livium v. Hist. 16. *Se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse.* (2) De Francis Pasquier l. 1. recherch. ch. 6. *Les François firent un vœu perpetuel de conquête.* (3) Ad recentiores maxime pertinet Puteani, *du Puy*, & Th. Gothofredi, *Traité touchant les droits du Roy tres-Chretien*, Paris. 1655. (4) Minoris pretii est Auberii liber, *des justes pretensions du Roy sur l'Empire*, Paris. 1667. propter quem, dicis gratia, in carcerem Bastilianum conjectus est, narrante Pufendorf. lib. x. Rer. Brand. §. 34. (5) Cassani *Recherches des droits du Roy*, licet minoris pretii, ingens honorarium meruere. (6) Puteano Conringius & Werlhofius: Auberio Lambecius in axiomat. Polit. Gallicanis: Cassano Defensio imperii, Hlatus Cassani obstructus, Chiffletius, & auctor libri *l'Advocat condamné* satisfecerunt.

(7) A

(7) A Carolo M. prætenfiones derivari, Grot. testatur app. ep. 738. & Pufend. lib. xviii. Rer. Brand. §. 51. *Regem prætenfiones suas superstruere non solum paci Monasteriensi, sed etiam legi Salicæ & juribus Caroli M.*

§. LVII. Domi curandum, ut manufacta, cum Hugonottis expulsa, fides publica & ærarium instaurentur; commercia cum Hispanis, Anglis, Belgis, Turcisque floreat; libertas ecclesiastica salva sit, & discordiis cleri obex ponatur.

(1) M. de la Mare *Traité de la Police*, III. tom. Paris. fol. commendetur. (2) Monzambano de statu imp. c. 7. §. 2. *Crassissima stultitia est, etiam à Gallis telas, levidenses sæpe aut absurdas petere: nam nauci etiam rebus Gallici nominis admiratio pretium addit apud Germanos.* (3) De commercio Anglicano observatio Schroëderi in *Fursth. Rentkamer* c. 37.

§. LVIII. Foris non est, quod valde metuat ab Hispanis, Lusitanis, Anglis, Belgis, Italis & Germanis. Ut Papam, Helvetios, Suecos, Polonos, Turcas & Russos sibi porro conciliet, antiqua status ratio suadet.

(1) Papa, Turcæ, Sueci, Poloni, qua in re utiles esse possint. (2) Cur Status Italiæ ambient amicitiam Gallorum, imprimis Veneta Resp. (3) De Genua oppugnata A. 1685. non opulante S. Bernardo. (4) Galliæ vires comparatæ cum Germanorum potentia, apud Mon-

zamb. c. 7. §. 5. (5) De Francis Græcum illud: τὸν Φράγκων φίλον ἔχει, γείτονα δὲ ἔσθ'. *Franconem amicum habeas, vicinum minime.* (6) Vere Polybius: *Magna imperia crescentia omnibus populis metuenda esse, etiam remotis, non enim prius conquiescere, quam omnia domuerint, itaque de impediendo eorum cursu mature capienda consilia.* (7) Gillius in Lud. VI. *le Royaume de France notre Seigneur a réservé a luy, & en sa main, l'ayant en sa garde & protection.*

S E C T I O VIII.

De Titulo, Insignibus, aliisque singularibus Regum.

§. LIX. Rex titulis non superbit, folis *Galliæ* & *Navarræ* vocibus contentus: sive imitatione veterum, sive quod omnia acquisita Coronæ Gallicæ innectuntur.

(1) *Reges Regum* olim à Græculis dicti, apud Annam lib. x. Alexiad. pag. 288. (2) In literis Papatum *Illustres* & *Excellentissimi*; rarius *Christianissimi*, donec Paulus II. illud elogium Ludovico XI. perpetua prærogativa dedit. Vid. Mabillon. lib. 11. de Re diplomat. c. 2. §. 7. & lib. v. Tab. 22. Perbonus de excellentia Christianissimi nominis. (3) *Primogeniti Ecclesiæ* Reges dicuntur, quod in tuenda religione, & protegendo Pontifice primas semper obtinuerunt. Vid. Thuan. lib. 35. A. 1563. (4) *Turcicus* &

& Fessa-Maroccanus Impp. eos *Bodesbair*, id est *Imperatores*, appellant; quod elogium à Græcis etiam tulerunt. Vid. Limn. Not. lib. 2. c. 1. & Differt. de titulo Imp. Russ. c. 2. §. 6. (5) Unde vox *Sire* descendat.

§. LX. Insignia Regni sæpius mutata sunt: primum enim tres coronas habuit; deinde lilia innumera; denique ex constitutione Caroli VI. lilia tantum tria.

(1) Hæc Cujacii sententia est, ad lib. xv. Resp. Papin. ad l. 13. ad L. Corn. de falsis: qui de coronis consentientem habet Paulum Æmilium; de liliis indefinitis Massonium & Tilletum. (2) Sed Joh. Jac. Chiffletius in Anastasi Childerici c. 12. *apes aureas*: ejus filius, Petrus Franciscus, *trifidum Dagoberti sceptrum*. Guaguinus *bufones*: Fauchetus *irides*: Gillius *luna crescentis cornutas facies*: alii *spicula hastarum* antiquum symbolum constituere. (3) Inepte Ferrandus, in Epinie. pro liliis, liliata insignia cœlitus missa esse, serio probare conatus est; cujus sententiæ vel imam plebem pudere debeat, judice Blondello, General. Franc. tom. 1. 45..

§. LXI. Modus ad imperium veniendi est successio, marium duntaxat ex maribus, ex antiqua consuetudine; quam Henricus III. A. 1576. introducta successione lineali agnatica, plenius firmavit.

(1) De Francis variant eruditi: aliis pro electione, aliis pro successione, aliis pro mixto genere

genere pugnantibus. (2) Sed Anastasius Bibliothecarius, ait: *Genti Francorum moris est, dominum, id est Regem, secundum genus principari.*

(3) Agathias Scholasticus lib. 1. Hist. *Apud Francos regnum à patre semper ad filium transit.*

(4) Gregorius M. homil. 10. in Evang. *In Francorum terra Reges ex genere prodeunt.* (5) Carolus Calvus tit. 31. c. 1. *consuetudinem olitanam* vocat.

(6) De successione agnatica & divisione regni Grot. 1. 1. c. 3. § 13. & 1. 2. c. 7. §. 23. (7) Cabot. disp. lib. 1. c. 13. regnum sub prima & secunda stirpe hereditarium, sub

tertia legitimum fuisse, nec injussu populi alienari, illud aut testamento transferri posse.

§ LXII. *Feminae, semper exclusae, ne quidem in divisionibus regni partem tulere; idque non tam ex lege Salica, vel ob dictum Christi, lilia non nent: sed quia mares ad bella magis sunt idonei, & muliebre imperium semper displicuit Germanis.*

(1) *Feminas exclusas esse, negat Joh. Jac. Chiffletius in vind. Hisp. & in Luminibus Salicis, à Cointio Ann. Eccl. ad A. 558. n. 68. recte confutatus.* (2) *Legem vero Salicam, de feminis, a regno excludendis, non loqui, Tilius, Cujacius, Hotmanus, Dupleix, & Chassaneus agnoverunt.* (3) *Non inepte tamen Cabot. lib. 1. disp. c. 16. Etsi de allodiis tantum legem Salicam loquantur fateremur, cum nihil de successione regni, legibus publicis regni, cautum alibi reperiamus, controversia secundum jus privatum regni dirimenda esset.* Adde Grot. lib. 11. de J. B. & P. c. 7. §. XI. n. 2.

§. LXIII.

§. LXIII. An ex feminis nati admittantur, inter Philippum Valesium & Eduardum III. Angliæ Regem, qui gradu proximior erat, armis disceptatum fuit: illo ad legem Salicam, hoc ad consuetudinem contrariam, & Nov. 118. c. 1. 3. frustra provocante.

(1) Ad Pippini & Hugonis Capeti exempla respondit Fabrottus, in Præfat. Basilicor. *Legis sententiam circumvenit, qui ortos ex feminis non esse repellendos censet. Nec est, cur moveamur quorundam Regum exemplis. Rectius enim dicent: Regni proceres æquius censuisse, ut ad regni successionem nati ex feminis potius admitterentur, quam exteri, non jure successione, sed electionis, uti tunc moris erat.* (2) Cominæus lib. vi. c. 3. *Mihi videtur deliberato bonoque consilio, non sine adjutrice divina gratia, legem in Francia promulgatam sancitamque usu esse, ut filie successione regni prorsus excludantur, unde caveatur, ne id quandoque in exteri Principis manum deveniat &c.* (3) Adde Bodin. lib. vi. de rep. c. 5. juncto Cl. Ludewegii Opusc. de Jure Anglorum in Galliam, tom. II.

§. LXIV. Primogenitus ipso jure succedit patri, in regnum, ut suus heres, nec eget inauguratione; more majorum autem, à Pippino introducto, præstito jurejurando, ex Ampulla Remensi, ungitur & coronatur.

(1) Uti jure Rom. sui heredes sunt, ipso jure, ita

ita Rex puncto temporis nascitur, non fit, vi & potestate juris Francici, quod Jēti *jus instantaneum & momentaneum* vocant, ex lege Caroli V. & VI. apud Thuan. lib. 27. & Amelot. ad Offati epist. 12. (2) Morem antiquum, Reges primæ stirpis clypeo extollendi, ut & Ampullæ Remensis originem, formam, & differentiam ab ampulla Martini, cum recensione omnium ceremoniarum, & jurejurando, Champagne, Morus, Th. Gothofredus, Marlotus & Chiffetius descripsere. Potiora vide in Menin *traité historique du sacre & couronnement des Rois*, & nostra dissert. VII. c. 2.

§. LXV. Ex hac Ampulla cœlesti Regis præcedentia foris, absoluta potestas domi, in secularibus & Ecclesiasticis, nec non vis mirabilis sanandi strumas, vulgo repetitur; sed Galliardiores alios, & minus dubios, priorum titulos urgent.

(1) De præcedentia Regis Galliæ, præ rege Hispaniæ, multa inania collegit Chassaneus. (2) meliora dederunt Vignierius, Pithœus & Bulteau, in libris sing. *de la Preseance du Roi*. (3) Optime Jac. Gothofredus de jure præced. p. 1. c. 1. §. 5. & c. 3. §. 25. ejusque frater Th. Godeffroy in *Memoires concernant la Preseance des Rois de France, sur les Rois d'Espagne* 4. Paris. 1613. & *le Ceremoniel François*, 2 vol. fol. 1649. (4) Gregorius M. jam suo tempore lib. v. Epist. 6. tomo iv. Op. p. 164. scripsit: *Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna, regni Francorum culmen excellit.* (5) Albericus in Chron.

Chron. ad A. 1212. pag. 404. *Rex Castellæ & Toleti Alphonsus dicebatur parvus de Hispania, cum tamen major esset aliis ætate, & dignitate, & socer aliorum, ad differentiam Magni Regis Caroli.* (6) De facultate sanandi strumas, les écronelles, vel le mal du Roi, varias sententias & rationes, vide in dicta dissert. p. 384 (7) Cominæus lib. vi. c. 7. *Solent Gallorum Reges confiteri; cum struma laborantes tangere decreverunt, id quod Lud. XI. singulis septimanis præstabat, male peccantibus, qui ultro differunt, cum abunde semper adsit ægrotantium.*

§. LXVI. Ad singularia Regum præterea pertinet S. Cœna sub utraque; Canonicatus & Abbatix honorariæ; nemini jurant; funeri non interfunt; corona clausa; color albus & violaceus; frequentes a Venere navi, utque per mulieres magna gerant.

(1) De communione sacerdotali Sleidan. lib. 9. (2) De Canonicibus Chopinus de *Sacra Politia* lib. 1. tit. 4. (3) De jurejurando Baluzius ad *Petrum de Marca* lib. 11. c. 3. (4) De funere Thuan. lib. 79. more Regum Hebræorum, de quibus Got. ad 2. Sam. III. 31. (5) De corona Frene ad Joinvillam *diff.* 24. pag. 299. (6) De albo colore Bellaj lib. 16. (7) De navis a Venere, & sexus elegantioris auctoritate, Becman *Hist. orb. terr. c. 3. §. 5.* Vix lævire potest, qui amat, ait Grammondus. (8) Bignon de *l'Excellence des Rois & du royaume de France.* Andreas du Chene *les antiquités & recherches de la grandeur & majesté des Roys de France.*

§. LXVII.

§. LXVII. Character quorundam Regum primæ & secundæ stirpis fuit, *Nihil fecit*. Carolus V. miræ sapientiæ Rex, atque adeo cognomen inde tulit. Ludovicus XI. prudente callidus arte, absoluti imperii auctor. Franciscus I. Pater litteratorum, sed voluptuosissimus. Carolus IX. alter Caracalla, laniena Parisiensi, in omne ævum, infamis. Henricus IV. pace interna, commerciis & opificiis instauratis, vere Magnus: Ludovicus XIII. Justi nomen adeptus, & Richelii habenis gloriosus evasit.

(1) Inter alios maxime Ludov. Balbus *Nihil fecit* cognominatus; apud Aimoin. lib. 11. de mirac. S. Benedicti c. 1. (2) Ludovici XI. virtutes & vitia, apud Cominæum lib. 1. c. 10. (3) An Franciscus I. ex infami morbo mortuus, Bayle in *François I. lit. D.* (4) Carolus IX. accusatus crudelitatis, defensorem nactus Naudæum, in arcanis status. (5) Henricorum nomen infaustum, ob tragicos trium exitus. (6) Henrici M. nævus, ex amoribus insignis, cumulo virtutum obtegitur. (7) Perefixe Hilt. de Henri p. m. 461. ad A. 1609. *Il seroit a souhaiter pour l'honneur de sa memoire, qu'il n'eut eu, que le defaut du jeu. Mais cette fragilité continuelle, qu'il avoit pour les belles femmes, en étoit un autre bien plus blamable, dans un Prince Chretien, dans un homme de son âge, qui étoit marié, a qui Dieu avoit fait tant de*
graces.

graces, & qui vouloit tant de grandes entreprises dans son esprit. (8) Ludovicus XIII. cur nil potuiffie, dicatur, præter curationem strumarum?

§. LXVIII. Ludovicus XIV. nuptiis, triumphis, finibus prolatis, & longa felicitate, omnium Gallia Regum maximus, colophonem imposuit regno; suos tamen passus est manes.

(1) Ejus nativitas mirabilis, d. 5. Sept. 1638.

(2) nuptiæ cum Maria Theresia; amores cum Valiere, Montespan, Fontagne & Maintenon: liberi naturales legitimi. (3) clementia, sanitas corporis & animi, stipendia eruditis data, fortitudo dubia. (4) Nimia tributa, ambitio, revocatio Ediæti Nannetensis, foedera rupta (5) Comparatio cum Philippo II. an bona. (6) Circumstantiæ mortis 1. Sept. 1715. (7) De ipso recens nato, Grotius epist. 1089. *Delphinus jam ter mutavit nutricem. Fugiunt eum conquiritæ ad hoc femina, quod ubera earum morficando lancinet robustus calidique spiritus puer, non sue omine futura rapacitatis.*

§. LXIX. Ludovicus XV. quintus & sexagesimus Regum, natus d. 15. Febr. MDCCX. Delphinus factus d. 18. Febr. MDCCXII. Proavo successit d. 1. Sept. MDCCXV. unctus & coronatus Remis 25. Oct. MDCCXXII.

(1) Ejus pater Ludovicus, Delphinus obiit 18. Febr. 1712. mater Maria Adelaida, Sabaudica, obiit 12. Febr. 1712. (2) Avus Ludov. Delphinus mortuus 14. Aprilis 1711. vaticinio imple-

pleto, ipsum Regis patrem fore, non Regem.
 (3) Regis educationi præfectus fuit Dux Bor-
 bonus; Ephorus Marechallus Villaregius, Præ-
 ceptor Andreas Hercules Fleury &c. (4.)
 Verba morituri Ludov. XIV. ad hunc Pronepo-
 tem, maximo Rege digna, vide apud Limiers
 Histoire de Louis XIV. lib. 20. ad A. 1715.
 (5) Alii 87. Reges numerant, XXXV. primæ
 stirpis, ab A. 414. ad 752. XVI. secundæ, ab
 A. 752. ad 987. & XXXVI. tertiæ ab A. 987.
 ad 1722.

§. LXX. Conjugem duxit A. 1725. Ma-
 riam Leszczyński, Comitissæ de Lesno,
 quondam ab A. 1705. ad A. 1709. Po-
 loniæ regis, filiam; natam ex Catha-
 rina Opalinski, A. MDCCLIII. d. 23.
 Jun.

(1) Quasi repudium Mariæ Annæ Victoriæ,
 Infanti Hispanicæ datum A. 1725. (2) quæ vene-
 rat Parisios 2. Mart. 1722. (3) Moribus præ-
 fectas habuit *Mad. la Duchesse de Ventadour*, &
la Princesse de Soubise. (4) In Gallia educa-
 batur, quia cor peregrinum in plerisque reginis
 exteris observatum. Bayle in Concini. (5) Re-
 ginarum emblemata, honores, privilegia, jura,
 dotalitium, luctus &c.

§. LXXI. Regum filii olim *Regales* di-
 cti: nunc Primogenitus simulac natus,
Delphinus vocatur, talis autem decla-
 ratur deinde. Olim anno XXI. ætatis
 majorennis fiebat; post legem Caroli
 V. in-

V. ineunte anno XIV. Ceteri' postgeniti *Principes sanguinis* appellantur.

(1) Humberti Delphini translatio Delphinatus in Regiam Galliae familiam A. 1343. ea lege, ne coronæ uniatur, apud Leibnit. Cod. dipl. p. 1. pag. 158. (2) Ediētum Caroli V. A. 1374. ex quo Reges Galliae A. 14. ætatis majorenes fiunt, ibidem pag. 231. & Du Puy *de la Majorité des Roys de France* (3) Rationes ediēti vide apud Mornacium ad l. 31. D de legib. (4) Bodinus lib. VI. de rep. c. 5. *Gentiles Capeti tribus legibus, quasi firmissimis fundamentis, hanc monarchiam stabilivisse videntur. Prima lex est, qua quidem filiis Regum, nisi justo concubitu quaesiti fuerint, omnes ad regnum aditus præcluserunt. Secunda, quod uni primogenito regalia majestatis jura in solidum tribuenda decreverunt. Postrema fuit, quod quæ prædia filiis Regum fruenda, Regis arbitrio, fiducia nomine assignarentur, eadem sine mascula prole mortuis, ab omni jure pignorum libera, fisco vindicarentur, regias vero sorores pecunia tantum dotari placuit* (5) Principes sanguinis ipso jure sunt Pares regni & consilarii Parlamenti; eorum insignia liliata. (6) Apanagii ratio & usus, ex schedis Peirescianis, apud du Frene in *Apanagium*.

§. LXXII. Rege impubere, absente, captivo, furioso vel ægrotante, *Regens* administrat regnum; impuberis tutelam gerit testamentarius, vel proximus agnatus, mater aut avia.

(1) Ultimi Merovingicæ stirpis facto, non jure, regno exuti. (2) Carolus VI. ob furorem imperio non cecidit (3) Spatio unius seculi Lud. P 2 XV,

XV. fuit tertius Rex minorennis (4) Maternæ tutelæ, & Rectorum omnis generis exempla, ex Gramondo lib. 18. hist. ad A. 1629. aliisque. (5) Philippo, Duci Aurelianensi, titulus Regentis negatus, in testamento Lud. XIV. sed confirmatus in primo Lud. XV. *Lit de justice, d. 12. Sept. 1715.* (6) Auctoritas Regentium accisa, lege Caroli V. apud Bodinum lib. 1. de Rep. c. 8.

§. LXXII. Inter Ministros Aulæ Ecclesiasticos eminet Eleemosynarius Magnus; inter seculares Magnus Magister Franciæ, Magister S. Palatii, Cubicularius supremus, Cancellarius, Comes stabuli &c. &c.

(1) Dignitas & partes Eleemosynarii Magni, aliæ prorsus, quam olim Capellanorum. v. Rouillard *le Grand Aumonier de France* (2) Inter seculares eminet hodie *le Grandmaitre*: olim Palatii non modo, sed & regni cura apud Majores domus. (3) De Archiatris, Archicancellariis, Buticulariis, Senescallis, &c. vide Anselme *de Grands Officiers de la couronne* & Jean le Feron *Histoire de Connestables, Chanceliers & Gardes des seaux, Mareschaux, Admiraux, Grand maitres de la Maison du Roy*, à Dionysio Gothofredo continuatus (5) Cancellarios du Chene, Ribierus, Lanovius & Tesselreau: Secretarios Tockius & alii dedere.

§. LXXIV. Palatia Regum antiqua Normannorum incurfionibus pene deleta fuerunt: hodierna sunt alia Parisiis; v. c. *Louvre & Palais Royal*; alia extra

ur-

urbem: *Versailles, Madrid, Muette, St. Germain, Fontainebleau, Marly, Meudon &c.*

(1) Plures semper Regum sedes, quæ vero præ aliis eminebat, *Sedes prima* dicta, ut *Aquisgranum*, sub secunda stirpe. (2) Palatiorum antiquorum catalogum dedit *Frêne*, in *palatium*; plenius ea, ex *Valesii Notitia Galliarum*, explicavit *Michael Germanus*, apud *Mabillon de Re diplom. lib. iv.* (3) Mundi illud miraculum, *Versalias*, cur tot sumptibus, ex villa, magnificentissimas ab A. 1661. fieri curaverit *Lud. XIV.* (4) cujus etiam opera sunt *la Menagerie, Trianon & Marly.*

SECTIO IX.

De Viris Illustribus.

§. LXXV. Virorum, sago vel toga illustrium, frequens annona fuit: inter illos eminent *Montmorancii, Guisii, Montfortii, Condei, Bironii, Villaregii, Crequy, Turenne, Vendome*; alii-que supra, §. 50. & 51. indicati.

(1) Vitam eorum, qui à *Lud. xi.* ad *Lud. xiii.* illustres, *Malingre Histoire Chronologique de plusieurs grands Capitaines, Princes, Seigneurs.* (2) Reliquos *Perrault Hommes illustres, qui ont paru en France, pendant ce Siècle. 1696.* utet *Brantome* describere (3) de pacto confecto *Luxenburgii* cum diabolo; (4)

Turenii mutatio religionis, v. Buiffon *la vie du Vicomte de Turenne* (5) Cominæus lib. III. c. 8. *Mihi quidem, quod semper arbitratus sum, videre etiam contigit, in Gallie regno, esse viros, tam prudentes, componendis quibuscunque negotiis, quam non offenderim in toto cetero mundo, præcipue inter eos, qui de alumnatione nostri fuere regis. In talibus enim opus est hominibus, ad omnia aptis, omnia verba factaque contemnentibus, ut id obtineant, quod Domino ipsorum sedeat* (6) de hodiernis vid. *Etat de la France* t. III. c. I. 6. 8.

§. LXXVI. Inter Ministros, quondam eruditione claros, Budæus, Hospitalius, Memmius, Harlæus, Seguierii, Thuani &c. referri debent.

(1) Ludovici Regii vita Budæi, apud Leickherum. (2) Sammarthanus in *elog.* lib. I. p. 59. *Hospitalius specie fuit augusta, vultu gravi & tranquillo, qui, ut ex veteri numismate apparuit, Aristotelis faciem plane referret.* (3) Lipsius lib. 2. *elect.* c. 15. *Briffonium Gallie, imo Europæ, magnum lumen vocavit* (4) Ipse Henricus III. de eo dicere solitus: *Neminem Regum viro tam docto gloriari posse.* (5) De ejus fati Thuanus lib. 102. & Barclajus lib. 1. *fatyr. amplissimis in remp. meritis clarum populus interfecit, ne dissimilem exitum sortiretur priscis rerumpublicarum Patribus, quorum semper exemplo vixerat.* (6) De Christophoro, Jacobo Augusto & Francisco Thuanis plura: de hujus supplicio Amelot ad Tacit. lib. XI. *Annal.* c. 3. Grot. *Epist.* 627. & Patin. tom. I. *lett.* 124. & tom. III. 494.

§. LXXVII. Arcanorum inprimis partici-

ticipes fuerunt sub *Ludov. XI.* Cardin. Bellue, Cominæus & Cottierius archiater: sub *Carolo VIII.* Briffonnetus: sub *Ludov. XII.* Cardin. d'Amboise: sub *Francisco I.* Thalassiarcha d'Annebant: sub *Henr. II.* Montmorancius: sub *Franc. II.* Guisii fratres: sub *Carolo IX.* Cardin. Birague, sub *Henr. III.* Epernonius: sub *Henr. IV.* Sully & Villaregius: sub *Ludov. XIII.* Richelius Cardinalis, arte & Marte Ministrissimus: sub *Ludov. XIV.* similiter Mazarinus Card. sed non in tanto gradu Tellierius, Colbert, Chamillard: sub *Ludov. XV.* Cardin. du Bois, Marchio de Maurepas &c.

(1) Syracides cap. 10. dixit, in manu Dei esse, prudentem dare Cancellarium (2) Cicero pro Cluentio: *Sapientissimum dicunt eum esse, cui quod opus sit, veniat in mentem, proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperat.* (3) Armandus Joannes du Pleffis, Cardinalis, Dux de Richelieu & de Fronfac, primum militiæ, dein Theologiæ, postremum aulæ se mancipavit. Ejus character apud Gramondum lib. XIII. & Auberium in ejus vita. (4) Grot. epist. 641. *De Cardinali Riceliaco nihil mediocre loquuntur homines: Sorbonista nuper fuit, qui ei, ut numini, litandum censuit: alius pro Richelieu vocandum Riche Dieu: quippe non nisi Dei esse, tam sapientibus consiliis Regem in-*

formare. At alii, minus ei faventes, publicis locis programmata affixere, si quis librum reperisset sagacitatis Cardinalis, à mense jam & ultra perditum, ei pro indicio præmium fore. (5) Mazarinus, Siculus natione, primum castra fecutus, dein laurea doctorali Theologica, post juridica ornatus Romæ, inde in Galliam missus innotuit Richelio, dein Ludovico XIII. (6) Vidè les memoires, anecdotes, lettres, ministere, histoire & Testament politique de Richelieu, Mazarin, Colbert & Louvois. (7) Du Puy Histoire des Favoris. Naudé Mascurat.

S E C T I O X.

De Scriptoribus Gallicis.

§. LXXVIII. Gallorum res antiquas Cæsar, Strabo, & Appianus: mores Ramus; linguam Boxhornius; Druides Smith: varia Fauchetus, Dupleix & Mezeray descripserunt. Francorum originem Pontanus & Leibnitius; leges Ecclesiasticas Sirmondus, profanas Baluzius; historiam Hadrianus Valesius; notitiam regni Hertius optime illustrarunt.

(1) Gregorius Turonensis, pater Historicorum Franciæ, A. Chr. 595 mortuus, editus & illustratus à Ruinarto, cum Fredegario Scholastico, de quo Valesii dissertatio (2) De Aimoine & Eginharto du Cheni dissertationes commendentur, & editio Cl. Sminckii (3)

Stu-

Stupendi labores Genealogici & Historici Andree & Francisci Duchenorū, quos alii Quercetanos, alii Patres Historiæ Gallicæ vocant (4) Caroli du Frene glossarium Lat. & dissertationes ad Joinvillam, editio Villeharduini, Gesta Francorum in regno Constantinopolitano, & liber de insignibus armorum. Obiit A. 1688. (5) Personatus Marvillius tom. 1. misc. hist. elogium Aristonis ex Plinio lib. 1. Ep. 22. ad eum merito refert: *Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mibi certe, quoties aliquid abditum quero, thesaurus est &c.*

§. LXXIX. Geographiam veterem Hadr. Valesius, in *Notitia Galliarum*; recentiorem Martineau du Plessis, in *Description de la France*; *Sacram Galliarum topographiam* Labbeus; singulas provincias multi illustrarunt.

(1) Hadrianus Valesius satis pro gloria patriæ suæ, & gratis quidem laboravit. Ejus *Notitia Galliarum*, & *Res Geste Francorum* iudicio acri, stilo elegante & prudentia summa scriptæ. (2) Recentiorem Geographiam Baudrandus & Zeillerus, mappas Santonii, du Val & l'Isle dederunt. (3) Jacobus le Long, in *Bibliothèque Historique de la France*, Paris 1719. lib. 1. reliquos Geographos omnes recensuit. (4) In præfat. n. 2. ait: *On raporte ici pres de dixhuit mille Ouvrages, dont il y a environ six mille auteurs nommez, & entre les Anonymes & Pseudonymes, je decouvre le veritable nombre de douze cens.*

§. LXXX. Historiam Regum Galliaë Tilleti, Pithœi, Puteani, Sammarthani fratres, & infiniti alii excoluerunt; instar omnium esse potest Mezeræi *Abregé Chronologique*, & plenior Gabrielis Danielis, Jesuitæ, *Histoire de France*.

(1) Tres causæ errorum, difficultatum & disensionum in Historia Galliaë. (2) De Scipione Dupleix scribit Bassompierre in mem. p. 735. *un coquin, faux Historiographe, s'il en fut jamais.* (3) Thuani laudes, mutilatio, nomen mutatio. V. Clavis Historiaë Thuanaë, Thuanus restitutus; & Galli, seu Gretseri Notationes in Hist. Thuani. (4) Duodecim historicorum singularia, apud le Long. pag. 947. qui etiam pag. 446. de Gabrielis Danielis, Illustris Jesuitæ, Historia Franciaë hoc fert judicium: *Cette Histoire generale de France est la mieux ecrite, de toutes celles, qui ont paru jusqu'à present; mais le premier volume est plus travaillé, que le dernier.* (5) Idem p. 445. de epitome Francisci Eudes, domini de Mezeræy, ob veritatis amorem salario suo privati, ob duritiem styli ab aliis culpato, ab aliis defensi: *Cette Histoire vaut mieux, que la grande Histoire du même auteur; il en a sur tout oté les medailles supposées, dont son histoire est farcie; c'est le jugement du Pere Menestrier. Bayle, dans son dictionnaire art. d'Ancillon, note D. dit, que la seconde edition est plus correcte, que la premiere, car l'Auteur en otá les fautes; mais comme il en otá aussi des veritez, qui avoient deplu, la premiere se fait rechercher des curieux.* (6) Adde

nuperam comparationem Danielis & Mezeræi, ut & (7) Limiers *Annales Historique, Metallique & Genealogique de la Monarchie Francoise*, cum fig. fol. 3. vol.

§. LXXXI. Regum ex Valesia gente res gestas *Anton. Varillasius*, Borbonii Henrici IV. vitam *Perefixius*; Ludovici XIII. *Gramondus & Vassorius*; Ludovici XIV. *Priolus, Leti, Labardeus, Riencurtius, le Gendre, Limiers & Larrey* literis mandarunt.

(1) Ludovici S. *Historiam Joinvilla*, de la Chaise & de Choisi (2) Ludov. XI. & Caroli VIII. *Cominæus*, a Sleidano, & *felicus* a Barthio latinitate donatus. (3) *Varillassi* xv. vol. in 4. continent *historiam* 9. Regum & spatium 176. annorum (4) *Varia* de ejus thrasonifino, fluxa fide, peccatis Chronologicis, & maledicentia singularia, vide apud le Long pag. 978. (5) *Vita Henrici, Perefixio vindicata*, sed plenius à Petro Matthæo, 3. tomis enarrata. (6) *Præsidis Tholosani, Gabr. Barthol. Gramondi adulatio, Vassorii libertas.* (7) *De Priolo judicia Wiquefortii, Morhofii & Baylii.* Editio ejus Lipsiensis, cum *Frankensteinii* notis. (8) *Sumtus immensi in librum Medailles sur les principaux evenemens du Regne de Louis le Grand*: ad quem, dirigente Bignonio, symbolam contulerunt membra *Academiæ, Charpentier, Tallemant, Racine, Toureil, Renaudot, Dacier & Pavillon.* Vide le Long pag. 518.

§. LXXXII. Ad rerum Civilium indolem

lem pernoscendam, conferri potest *Limnai* Notitia Franciæ; *de la Mare* Traité de la Police: *Job. de Pigagnole de la Force* Nouvelle description de la France, item *P. Ange* Etat de la France; ut & *Commentarii* Oratorum, & *Memoirie* ministrorum, quarum ingens copia habetur.

(1) Merita Theodori Gothofredi, ejusque filii Dionysii, in Historiam & jus publicum Galliæ.

(2) Uterque Regius Historiographus, variorum historias Caroli VI. VII. VIII. & Ludov. XII.

cum notis edidere (3) Pater scripsit, le Traité des droits du Roy, de præcedentia Regis, & Memoires de la Paix de Munster. (4) Filius notas ad Cominæum, Ceremoniale, Memoires, aliaque. (5) Singulas cunctorum scriptorum epistolas historicas, memorias & commentarios, ordine Chronologico digestos, recensuit le

Long pag. 641. seqq. & 1098.



CAPUT IV.

DE

HISPANIA.

SECTIO I.

De Ortu & Progressu regni.

§. I.



Hispania a Phœnicia voce *Spanijam*, quasi cuniculosa, dicitur. Græcis ab Ibero amne *Iberia*; Romanis à stella occidentali *Hesperia ultima*; Arabibus & Turcis *Andalusia* vocatur.

(1) Varronis, Plinii & Plutarchi Iusus, de Pane, Bacchi socio. (2) Spania pro Hispania Rom. xv. vf. 24. 28. & alibi (3) Cuniculus, Phœnicibus *Saphan* dictus, Hispaniæ symbolum, in nummo Hadriani. *Cuniculosam Celtiberiam* vocat Catullus carm. 38. (4) Copia hujus animalis ex Plinio lib. viii. c. 29. & 55. aliisque, apud Bochartum in Chanaan lib. i. c. 35.

(5)

(5) Horatius lib. I, Ode 36. v. 4. *Hesperiam ultimam* vocat. (6) Poetæ passim *Solis cæcilia Gades*, & *extremos orbis Hiberos* cecinere.

§. II. Antiquitate superat cetera regna Europæa: nec tamen à Tubale Mosaico, Japeti filio, Noachi nepote, ejus initia sunt repetenda, cum cultoribus fabulosæ vetustatis.

(1) Origo erroris partim ex Josepho lib. I. Antiq. c. 7. *Condidit Tubel Tobelos, qui nostris temporibus Iberes appellantur*, (2) partim ex *Setubala* urbe, ab ipso condita, quasi coetu Tubalis, & *Noëga* in Asturiis. *Noëla* in Gallæcia, a nuribus Noachi dictis. Vide Athanasium de *Lobera de la grandezas de Leon*; cujus caput I. est, *de la Fondation de Espanna por el Patriarcha Tubal*. Et Faria epit. p. I. c. I. Sed vid. Vossius lib. I. de Idolol. c. 33. (3) Figmenta Berossi, Manethonis, Roderici Toletani, & Anni Viterbiensis, de primis quatuor & viginti regibus, ab ipso Vasæo Hisp. Chron. c. 10. & Mariana lib. I. c. 7. Resendio antiq. Lusit. lib. III. & Nonio descript. Hisp. c. 3. rejecta sunt.

§. III. Primum ab Iberis, Celtis, Phœnicibus, & Carthaginienfibus est occupata, auri sacra fame compulsis: deinde à Romanis, bello Punico II. ad ulciscendum excidium Sagunti, per partes debellata, & post annos demum cc. ab Augusto in formam provinciæ redacta fuit.

(1) Lucanus lib. IV. *Profugique a gente vestasta*

ansta Gallorum, Celtae miscentes nomen Iberis

(2) Conflagratio Pyrenæorum ab Aristotele, Strabone & Diodoro memorata, an fabulosa.

(3) Phœnicum navigatio antiqua, & fama vulgaris, in Gadibus Herculis columnas esse, Curt. lib. x. c. 1. (4) Plin. lib. III. c. 1. *Quæ de Hercule ac Pyrene. vel Saturno traduntur, fabulosa imprimis arbitror.*

§. IV. Initio sæculi V. Suevi, Vandalæ & Alani Romanos in Hispania debellarunt; mox fortius Gothi, qui A. Chr. DLXXXV ea propemodum universa subacta, primam Regum periodum inchoarunt.

(1) Quo titulo hæ gentes usæ, (2) Gothici regni fines ampliffimos, Jornandes in Geticis & Isidorus in Chron. Gothorum tradidere. (3) Reges eorum Flavii & Imperatores dicti. imitatione Imp. Orientis. vid. Heguerra in notis ad Luitprandi Chron. n. 10.

§. V. Secunda periodus, inde à Regno Gothorum, per Mauros A. Chr. DCCXI. extincto, incipit; omni terra in multos horum regulos distracta; qui sensim rursus à Regibus Christianis Legionis, Suprarbiæ, Gallæciæ & Castellæ sunt devicti; donec Ferdinandus V. capta Granada, eos penitus ejecit. A. M CCCC XCII.

(1) Quæ occasio Mauris data, Hispaniam occupandi. (2) A dversus Baronium & Marianam, qui

qui A. 714. id factum putant, v. Pagii t. III. Crit. pag. 173. (3) De Mauris & Mauritania, a nigro colore dicta. Manil. l. IV. v. 720. *Mauritania nomen Oris habet, titulumque suum fert ipsa colore.* (4) Juliani nomen cur adeo invisum sit Hispanis. vid. Camerar. Hor. subf. l. 2. c. 11. (5) Auguria expeditionem præcedentia. (6) Reliquiæ Maurorum in taurinis spectaculis, & quid de iis habendum sit.

§. VI. Sub tertia periodo, ab Anno M CD LXXI. ad M D LXXIX. Hispaniæ majestas & fines, regnis per nuptias conjunctis, detecto novo orbe, victoriis, & Portugalliæ accessione, in eam amplitudinem excreverunt, ut universo terrarum orbi terror fuerit incussus.

(1) Tantæ potentiaæ fundamenta jecit Ferdinandus, per nuptias cum Isabella, (2) armis firmavit Carolus V. (3) Philippus II. consiliis perfecit: omnia spatio unius seculi (4) Hunc Thuanus lib. 136, Hist. *potentissimum orbis Christiani monarcham* vocavit. (5) Matthæus lib. 1. Hist. pac. narrat. 3. *illum tali patre (Carolo V.) natum esse, qui post Carolum M. omnium Occidentis Imperatorum major fuerit, quique meliore jure, quam Persarum Reges, se vacare potuerit Regem Regum, fratrem Solis ac Lunæ.*

§. VII. Quarta periodus ab Anno M D LXXIX. ad A. M DCCXXIV. regno fatalis fuit; nam mole sua nimis laborans

rans, decrevit defectione Belgarum, Catalanorum & Portugallorum; bellis Anglorum, Gallorum, Austriacorum; inopia militum, distractione provinciarum, invidia totius Europæ.

(1) Errores Hispanorum politici, propter quos in eodem potentiæ gradu consistere non potuerint. (2) Jocus Joh. de Tassis in Philip-pum IV. Magnum appellatum, *instar fossæ, quæ major fit, quo magis terræ adimitur*.

S E C T I O VII.

De Finibus & natura regionum.

§. VIII. Territorium imperii Hispanici principale peninsula est, ac Portugalliam inter Galliamque montibus clauditur, & Oceani freto, ambitu latissimo.

(1) Tacitus lib. 11. Hist. c. 58. *Hispania angusto freto ab Africa diremta.* (2) Hispaniæ longitudo, & latitudo. (3) Ejus figuram bubulo corio assimilant Strabo & Mela. Justinus quadratam facit lib. 44. c. 1. (4) Quot viis terrestri itinere adiri possit. (5) Quomodo montes Pyrenæi Gallias Hispaniasque disterminent hodie, vid. Petrum de Marca de Marca Hispanica.

§. IX. Maribus proprie duobus aluitur; Oceano Occidentali, & mari

Q

Me-

Mediterraneo; sed pro varietate littorum, quatuor maria, Cantabricum, Hispanicum, Fretum Herculeum, & Ibericum vulgo numerantur.

(1) Dominium maris occidui Alexander VI. Ferdinando dedit, *de mera liberalitate & ex certa scientia, de Apostolicæ Sedis plenitudine*, A. 1493. apud Bzovium Annal. Eccles. ad dict. annum, & Leibnit. Cod. dipl. n. 203. (2) Responso Elisabethæ, Philippi II. Oratori, Mendozæ, data, Pontificem Hispanos inter & Lusitanos arbitrum sumi potuisse, se vero illius arbitrium non agnoscere, apud Camdenum ad A. 1580. (3) Vide Grotium de mari libero.

§. X. Romanis olim Hispania citerior & ulterior fuit: Augustus eam in tres provincias: Tarraconensem, Bætiam & Lusitaniam divisit: sub Mauris undecim regna enata; quæ postea ad tria redacta, tandem, Mauris ejectis, in unum Hispaniæ corpus coaluerunt.

(1) Duæ Hispaniæ apud Ciceronem, Cæsarem, Tacitum, aliosque laudatæ, quos habuerint fines. (2) Lapis vetus apud Gruterum excussus pag. 453. adversus Merulam. (3) Plinius lib. III. H. N. c. 1. *Bætica, a flumine eam mediam secante cognominata, cunctas provinciarum divite cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit.*

§. XI. Hodie vulgo in XIV. Provincias dividitur, montibus, rupibus, aut

aut fluviis distinctas; quarum nomina sunt: Castilia nova & Vetus, Legio, Andalusia, Extremadura, Biscaya, Gallicia, Navarra, Asturia, Murcia, Granada, Valentia, Arragonia & Catalonia. Accedunt Insulæ Majorica, Gades, Ebusus, Ophiusa &c.

(1) Singularia quædam Castiliæ veteris & novæ. (2) Legio prima Mauris erepta. (3) Andalusia Vandalorum domus. (4) Vid. Remp. Hispan. p. 79. & Delices de l'Espagne tom. 1.

§. XII Flumina quidam cl. numerant; quorum præcipua: Iberus vulgo *Ebro*, *Durius*, *Duro*; *Tagus*, *Tayo*; *Anas*, *Guadiana*; *Bætis*, *Guadalquivir*, *Turias*, *Guadalaviar*; *Lethe*, *Guadalete*; *Segura Segre*.

(1) Justinus lib. XLIV. cap. I. *Cursus amnium non torrentes rapidique, ut noceant, sed lenes, & vineis campisque irrigui, æstuariisque Oceani affatim piscosi, plerique etiam divites auro, quod in balneis vehunt.* (2) Iberus Syris ab *ebri*, *ibrin*, quasi remotus dictus. (3) *Durius*, a *Dour* aqua, maximus est, & rapidior ob rupes. (4) *Tagus* dives auriferis arenis, sed propter rupes haud multum in eo navigatur. (5) *Anæ* aqua minus salubris, pisces ingrati saporis. Dictus à Syriaco *Ana* ovis, vulgo *anatis* instar terra se occultare dicitur. vid. Veyrac. t. I. Etat present p. 62. (6) *Bætis* patiens magnarum navium, sed periculosus. (7) *Guadalquivir*, Maurorum lingua, magnum fluvium notat.

(8) Piscium, copia & mole insignium, longum censum instituit Geographus, a Gothofredo editus. (9) Vid. Hieron. Paulus de *fluminibus & montibus Hispaniæ* t. 2. Hisp. ill. pag. 834. (10) Fluminum conjunctio imprudenter rejecta.

§. XIII. Portubus abundat, situ opportuno & mercatu variarum gentium nobilissimis, quibus ab appulsu hostium maritimo etiam defenditur.

(1) Caronium, *Carunna*, olim statio classis invincibilis. (2) Portus Gaditanus & Vigum, *Vigos*, egressu navium in Indiam, & accessu noti. (3) *Malaga* armamentarium adversus Mauros. (4) *Bilbao* classe mercatoria Batavorum celebris. (5) *Bajona*, *Carthagena*, *S. Sebastian*, *S. Lucar*, *S. Andrea* &c. (6) Gibraltar, alias Heraclea, Calpa, Gebal, Tariff, A. 1704. à Britannis occupata.

§. XIV. Oppida muris cincta, circiter MD. vulgo numerant; verum solæ sedes Episcoporum, cum paucis aliis, *Cividades* dicuntur, & reliquas multis prærogativis antecellunt.

(1) Strabo lib. III. regionis naturam negat esse capacem multarum urbium, ob ariditatem. (2) Pleræque urbes sunt antiquæ, & Romanorum coloniæ aut municipia, antiquitatum cimeliis referta. (3) Hispalim olim metropolin fuisse, ex l. 5. C. *Th. de Sponsal.* & Aufonio, de Urbibus probatur, contra Scaligerum 1. Aufon, lect. 13. & l. 2. c. 10. (4) Castella in finibus

nibus munitissima; (5) Ambrosii Moralis Corduba t. 2. Hisp. ill. pag. 853.

§. XV. Solum in maritimis partibus est pingue, & pascuis amœnis lætum: in mediterraneis vero siccum, sterile, arenosum, & propter altitudinem terræ, aquis interioribus destitutum.

(1) Laudes veterum de ubertate Hispaniæ, Polybii apud Athenæum, Strabonis, Melæ, Solini, & Claudiani lib. 1. in Eutrop. *segetes mirantur Iberas Horrea*. (2) Eæ ad partes maritimas Valentia, Murcia, Granada, Andalusia & Extremadura sunt restringendæ. (3) *quacunque ambitur mari*, ait Plinius lib. 37. c. 13. fin. (4) *Contra duræ tellus Iberiæ* fecit Horatius iv. Ode 14. qua spectat Arctum, (5) Incolarum vitio & infrequentia, aliquid de ingenio soli videtur esse mutatum, quod *terris omnibus fertilis* vocat Latinus Pacatus. (6) Olim non sibi tantum, sed & Italiæ sufficiebat, ad annonarios commeatus, auctore Justino lib. 44. c. 1. & Imp. in l. 4. § 8. C. *Tb. de Navicular*. (7) In nummis idcirco Hispania spicas tenet.

§. XVI. Tota ferme olim scatuit auri, argenti, æris, ferri, chalybis, stanni & plumbi metallis: nunc rariores sunt priorum divitiæ, fodinis, sive ad fundum exhaustis, sive corruptis.

(1) De stupenda multitudine auri, præter Auctorem Maccab. lib. 1. c. 8. §. 3. Diodorum Siculum lib. vi. Biblioth. c. 9. & nimis grandiloquum Posidonium apud Strabonem lib. 3. testatur Plinius lib. 34. c. 4. *Vicena millia pondo*

auri, annis singulis, Asturiam atque Galliciam & Lusitaniam præstare, quidam tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat; neque in alia parte terrarum tot seculis hæc fertilitas. (2)

Martialis Bilbilim optimam metallo laudat IV. ep. 55. (3) Bæticæ collatio auri & argenti est in l. 1. C. Th. de Distract. pign. & CONFECTORES ÆRIS in monte Mariano, apud Spon. Misc. erudit. antiq. p. 191. (4) Ludovicus Nonius interdicto Regum parci fodinis, ait, (ut Plinius d. l. de Italia) donec India suos thesauros suppeditat. (5) Plane ut lapides renasci, scripsit Ulpianus l. 7. §. 13. D. Sol. matr. sic metalla Strabo lib. V. Servius ad Virgil. lib. x. Æn. 173. & Cardanus. Negat Scaliger subril. c. 101. & 102. nec certe omnibus locis. (6) Argentifodinæ nuper prope Guadalional reperiæ, A. 1725. & ad authentica instrumenta instaurandæ.

§. XVII. Castilia vetus abundat lana varii coloris, quæ nusquam est præstantior. Andalusia, regni granarium & stabulum, equos & mulos producit, forma præcellentes, fortiores Asturia. Biscaya aciem & nucleum ferri præbet. Murcia & Granada moros, pomorumque aureorum, citreorum & Punicorum sapes fundunt. Vinum, mel, oleum, sal, crocus, amygdalæ, ficusque Castiliæ novæ & Arragoniæ nullis cedunt. Lini spartique vis ingens, minii certe

certe, ejusque comitis argenti vivi,
nulla feracior terra.

(1) De calore nativo vellerum nigro, rutilo & albo, ejusque cauffis Plinius lib. 8. c. 48. Juvenalis Sat. 12. & Martialis variis epigr. Optima lana prope Escuriale, Saragoffam & Segoviam: *primas Segovias lanas, Sorias, Molinas.*

(2) Equos *Hispani sanguinis* Romanis ad ludos Circenses gratissimos fuisse, Horatius docet, lib. 3. od. 4. v. 34. l. 1. *C. Th. de Equis Cur.* & Symmachus variis locis. Claudianus in laud. Serenæ de Hispania: *Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis.*

(3) MERCATOR. OLEI. HISPANI. EX. BAETICA, apud Gruterum pag. 1116.

N. I. NEGOTIATORES. OLEARII. EX BAETICA, apud Reines. cl. vi. n. 123. Rutil. 1. Itin. 150.

Pinguiæque Hesperio, nectare prela fluant. Paulus in l. 63. §. 2. D. ad L. Falcid. *Non tantidem Romæ & in Hispania oleum æstimabitur.*

(4) Sunt & specularia ac marmora, mira ludentis naturæ colorum varietate, quæ exportantur.

(5) Saavedra symb. 66. *Hispania provinciis aliis*

submittit sericum, lanam, chalybem, ferrum, aliasque diversas materias; quæ diversimode dein

elaboratæ revehuntur ad nos, & ingenti à nobis

coëmuntur pretio, ob vecturæ sumtus, & artificium; adeo ut caro nobis stet nationum aliarum ingenium & industria. &c. &c.

§. XVIII. Clima temperatam Zonæ Septentrionalis partem occupans, bonam facit aeris constitutionem, caliginosis aut malignis vaporibus minime infectam: licet per æstatem plerumque ariditate & pluviarum inopia laboretur.

(1) Pests hic idcirco rarior, & Homerus Elyfios ibi campos finxit, sedesque piorum, auctore Strabone lib. III. pag. 150. (2) Cubicula fenestris carent, ob nocturnam aeris acrimoniam, stomacho adversam. (3) Justinus lib. 44. c. 1. *Salubritas cœli per omnem Hispaniam æqualis, nulla paludum gravi nebula inficitur: Huc accedunt & marinæ auræ, undique versus assidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus, eventilato terrestri spiritu, præcipua hominibus sanitas redditur.* (4) Juvenal. sat. XII. *Beticus adjuvat aër, id est, Spaniæ Bæticæ, ait Scholiastes.*

§. XIX. Accessio territorii olim fuit tanta, ut Carolus, V. gloriari potuerit, quod Solem Orientem & Occidentem terminos haberet; sed aucta fuit sub Philippo II. per omnes mundi partes, cum Portugallia acquisita: nunc pleraque cessim ivere.

(1) Perierunt potentes Austriacæ in Germania ditiones, Burgundicæ in Gallia Belgica Celticaque, fortissimæ & vere militares; (2) Arragonicæ in Italia: Neapolis, Sicilia, Sardinia, ducatus Mediolanensis, Malta &c. (3) Cum quibus dissimilarem remp. olim constituit Hispania, commodo haud magno. (4) Hinc Dux d'Olivarez in Apol. apud Amelot ad Tacit. lib. XII. c. 28. Monarchiam Hispanicam, ex tot Provinciis compositam, corpus fanaticum vocat. Idem iudicium Scipionis Amirati 1. diss. polit. 6.

§. XX. Belli jure, à Sede Rom. quasi concesso, adjectus est novus infidelium orbis

orbis, fons auri & gemmarum: postquam Christophorus Colonus A. Chr. MCCCCXCII. Hispaniolam, Cubam & Jamaicam, Americus Vesputius mox alia detexit.

(1) Christophorus *Colonus* vocatur, in bulla Alexandri VI. apud Leibnit. Cod. diplom. p. 1. n. 203. diversus a Christophoro Columbo, *Conlopus*, de quo idem in prodromo n. 17. & 18. (2) Americæ primi cultores, fama, inventor, divitiæ, utilitas, lingua & ritus religionis, cum Judaicis collati. (3) Hispanorum titulus, Proreges, forma imperii, crudelitas, &c. (4) Jesuitarum memorabilis fortuna, à Frezier descripta. (5) Portus Havana, Panama & Portobello, ad utramque Isthmi partem, fortissima sunt propugnacula: unde quanta sit difficultas eam occupandi, Pater Gage descripsit. (6) Philippus II. monebat filium, apud Thuanum lib. 110. *Ut Proreges Indiarum occidentalium crebro mutantur: quique revocabuntur, consilio Indiarum adhibeantur, alterique alteris per vices succedentes, quasi exploratores apponantur.* (7) Vid. Josephus a Costa de natura novi orbis. Grotius de orig. gent. Americ. Rupert. ad Valer. lib. iv. c. 6. p. 294.

§. XXI. In Asia accesserunt insulæ Philippinæ & Salomonis: in Africa Ceuta, Septa, & Melilla, cum insulis Canariis.

(1) Concordia inter Reges Castellæ & Portugalliæ de insulis Canariis A. 1481. a Sixto IV. confirmata apud Leibnit. t. 1. Cod. n. 195.

(2) Philippinarum numerus, descriptio & utilitas. (3) Obsidio Ceutæ, alias Septa, diuturnior Trojana, ab A. 1694. (4) Caroli V. error politicus, quod A. 1545. non excidit Tunitanos, sed Muleassem restituit: *C'a donc été une lourde faute aux Rois d' Arragon, de n'avoir pas rasé Tunis & Alger, lorsque ces villes & leurs Rois étoient à leur discretion*, ait Amelot ad Tacit. lib. XIII. c. 44.

S E C T I O III.

De civium moribus & bonis fortunæ.

§. XXII. Maxima pars hodierni populi Hispanici originem a Gothis & Mauris trahunt; pauciores a Romanis & Suevis, paucissimi à Tyriis & Pœnis.

(1) Varro apud Plin. lib. III. H. N. c. 1. tradit: *in universam Hispaniam pervenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtasque, & Pœnos.* (2) Iberi an Iberis Asiaticis originem debeant, incertum; quia Appianus ait, eos *nec moribus ulla ex parte, nec lingua convenire.* (3) Iberi & Celtæ pro gentibus Occidentalibus. (4) Græcorum fabulæ explosæ, a Bocharto, in Chanaan c. 34.

§. XXIII. Lingua vulgaris, seu Romanica, vel Castellana, Romanæ corruptioris filia est; comitantibus barbaris oppidorum & fluminum nominibus

Ara-

Arabicis, & mixtis nominibus propriis Gothorum.

(1) Strabo lib. III. pag. 139 *Utuntur Hispani Grammatica, non unius omnes generis, quippe ne eodem quidem sermone*; pariter & hodie lingua non una. (2) Cantabrica potius ex Hispanica antiqua, quam ex Gothica est; quia Valafrius Strabo de reb. Eccl. c. 7. hanc à Teutonica diversam non fuisse, docet. (3) *Al, os, as, V pro B & alii linguæ vulgaris characteres.* (4) Specimen ejus ante fœdiorem depravationem, apud Merulam p. 2. Cosmog. l. 2. c. 8. (5) Hispanorum de lingua sua thrafonismi. (6) Orant: *Padre nuestro, que estas e los cielos.* Lusitani vicini: *Padre nostro, que stas nos ceos.*

§. XXIV. Olim Hispania numero valuit; hodie vix ullius rei magis penuria laborat, & haud novem hominum milliones, in tam vasto Regno.

(1) Cicero de Harusp. c. 9. *Gallos robore; Hispanos numero; Pœnos calliditate; Græcos artibus superavimus.* (2) Causæ paucitatis hodiernæ duodecim, ex Laetio, Conringio, Bosio. (3) Regum edicta, & præmia *πολυπαιδιᾶς*, A. 1623. à Philippo IV. promissa. (4) Consilia Navaretæ, Campanellæ, Conringii, quibus modis huic malo occurri queat; & quid ab iis sperandum. (5) Saavedra symb. 59. *Cum Hispania pluris esse crederet, puram & integram suam servare nobilitatem, quam Africanum illi miscere sanguinem, privilegia sua & honores vitis nationis illius communicare noluit; unde factum, ut uniti, una simul cum odio, servarint mores suos, idioma suum & perfidiam, ut neces-*
sunt

sum esset, deinde eos omnes ejicere & privare se tot subditis proficuis ad agrum colendum, non sine admiratione rationis status aliorum Principum.

§. XXV. Corpora utrique sexui levia, viris vultus tristior, color subfuscus, membra dura, nec morbis obnoxia: femine vivaciores, ob abundantiam humoris.

(1) Cur sint subaquili, nigricante capillo, patientes inedia, mediocri statura, major pars calvi. (2) *Flava Hispanorum proceritas* Calpurn. decl. 2. Justinus lib. 44. c. 2. *Corpora hominum ad inediam, laboremque, animi ad mortem parati. Dura omnibus & adstricta parsimonia.*

(3) *Victus asper domi, alienis mensis largi.* (4) Proverbium; *Unas azeituras, una salada, y ravanillos son comida de Cavalleros.*

§. XXVI. Ex temperamento melancholico cholericum sequitur gravitas fastuosa, vestitus magnificus, incessus tardus, consiliorum lentor, justitiæ studium, severitas morum, magna taciturnitatis cura, animus ad mortem paratus.

(1) Silius lib. 1. v. 225. *Prodiga gens animi, & properare facillima mortem.* (2) Constantiæ exempla in tormentis apud Livium l. 21. c. 2. Tacit. iv. Ann. 45. (3) Cur & senes & juvenes conspiciuntur utantur, vid. Voyage & Memoires Comitiſſæ d'Aunoy. (4) Gravitate specimen in Philippo 11. qui ideirco Anglis & Belgis exofus,

fus, utet in Philippo IV. quem ter tantum in vita risisse ferunt. (5) Grotius lib. I. Annalium de Ph. II. *induta gravitate austera, parsimonia verborum, turbæ fuga, formatus Hispanorum ad mores, ne sermone quidem alio adibatur.* (6) Saavedra symb. polit. 81. *Hispani religionem & justitiam diligunt; patientes laborum sunt; profundi in consiliis, in executione tardi. Animis tam excelsis, ut eos nec prospera attollat fortuna, nec adversa dejiciat. Quæ in iis inest natura (gloria & animi magnitudo) superbiæ adscribitur, & nationum aliarum præ se contemtu: tamen ea fit, cui optime cum omnibus convenit, & quæ nationes alias æstimat, ea ipsa vel maxime rationem ducem sequitur &c.*

§. XXVII. Inter vitia eminent perti-
nacia, zelotypia, avaritia immanis, li-
bido tetra, crudelitas summa, invidia
adversus omnes, maxime arrogantia,
& fastus tartareus, etiam in summa pau-
pertate.

(1) Monitum Huarti, de provinciis discernen-
dis, in Scrutinio ing. cap. 4. fin. (2) Nullius non
sceleris injuria eos infimulat Joh. Leon. Wied-
nerus, in libro, Hispanicæ dominationis arcana.
Contra, specula omnium virtutum eos facit, ni-
mius inlaudibus, Carolus Garzias. (3) Su-
perbiæ ridiculæ exempla innumera, ex Itinerum
commentariis, Clenardo, Barclajo aliisque. (4)
A Gothis eam derivat Grotius lib. 1. Annal.
*quos, inquit, prisca novique auctores nobis descri-
bunt animi adversus labores & pericula invicti,
dubium gloriæ an opum avidiores. usque ad alio-
rum contemptum superbos, sacrarum quidem ve-
nera-*

nerabundos, & beneficis haud infidos, sed ultione adeo flagrantes, & victoria efferos, ut in hostem nihil turpe sit, nihil illicitum. (5) In priscis vero Hispanis idem vitium notatum à Julio Firmico lib. 1. *Hispani elato animo: nec Hispanorum jactantiam potuit Saturnus imitari.* Plinius lib. 11. ep. 13. *Scis quanta sit gravitas Hispaniae.*

§. XXVIII. Antipathia Hispanos inter & Gallos ex morum diversitate, æmulatione Regum, bellis & vicinitate orta, nondum deferbuit, verum necessaria non esse videtur.

(1) In causas odii inquisivit Doni Carolo Garzia, in libello Hispanico, *d'all' Antipathia de Francèsi e Espagnoli.* (2) Tum Franciscus de la Motte le Vayer tom. 2. op. peculiari diatriba: *De la contrarietè d'humeur, qui se trouve, entre de certaines nations, & singulièrement entre la Francoise & Espagnole.* Bayle *Reponse aux questions d'un provincial t. 1. p. 102.* Cl. Gundlingius *Otiar. t. 1. c. 2.* & Franckenstein *de Antipathia nationum.* (3) Jam tempore pacificationis Pyrenææ Mazarinus, teste Galeat. Guald. *Hist. Pacis Pyr. p. 90.* ostendit: *inveteratam illam opinionem, nisi potius bellorum, ad internecionem jam dudum gestorum, diuturnitate, quam solida aliqua ratione.*

§. XXIX. Propter insitum illum atræ bilis humorem, ad contemplationem sunt nati, quæ ingenium acuit, toti in metaphysicis & Theologia Scholastica: literas humaniores mediocriter discunt; amant musicam; rari poëtæ.

(1) Olim

(1) Olim feracissima fuit ingeniorum. Ambo Senecæ & Lucanus Corduba orti, Martialis Bilbilitanus, Quintilianus, Silius, Porcius Latro, Hyginus, Mela, Columella, Orofius, Prudentius, alique. (2) Ad illos respexit Latinus Pacatus in Paneg. Theodosii c. 4. *Hispaniæ uni, quicquid ubique laudatur, assurgit. Hæc durissimos milites, hæc experientissimos duces, hæc facundissimos Oratores, hæc clarissimos vates parit: hæc Judicum mater, hæc Principum est.* (3) Hodie in Theologicis Sanctum officium; in Physicis, magiæ suspicio, in Poësi defectus ingenii progressus impedit: Sed. (4) aliorum scriinia compilare, magnaue volumina paucis rebus implere, præcipua Jurisconsultorum ars est, inquit Bosius. (5) Toftati opera Latina 24 voluminibus constant; quem Mariana lib. XXI. c. ult. *virum multiscium, vocat, cujus numerosa & variis de rebus, tum sacris tum profanis, edita volumina Dydimi illi Alexandrino parem faciant.*

§. XXX. Inter Academias duas & viginti, præcipuæ sunt: Hispalensis, Valentina, Complutensis; Oscensis, Barcinonensis, Granatensis, Ilerdensis, Ossunensis, Toletana, Cæsar Augustana, Tarraconensis, Saragossensis, Compostellana, Avilensis, Madritiana, & princeps Salmanticensis.

(1) Franc. Ximenii auspiciis literæ fine seculi xv. refluoruerunt. (2) De Isidori Hispalensis, Ariæ Montani, Raymundi Lulli, Avicennæ, Averrois, Abensræ, Abarbanelis, Villalpandi, Nonii,

Nonii, Ludovici Vivetis, Pereyræ, Victoriæ, Covarruvias, Gomezii, Vasquii, Soto, Lessii, Molinæ, Gonzalez Tellez, Marianæ, scriptis & laudibus, videatur Alfonsus Garfias Matamoros *de Academiis & doctis viris Hisp.* t. II. Hisp. ill. p. 801. (3) Vitam plerorumque, cum catalogo scriptorum editorum & ineditorum, & judiciis, in opere præstantissimo, dedit Nicolaus Antonius in *Biblioth. Hisp.*

§. XXXI. Exercitia equestria festantur, maxime Arragonii: ad agriculturam & artes sellularias plerique nauseant, easque Gallis relinquunt.

(1) Catalonici opifices, sunt Gallicæ originis. (2) Corium Cordubæ, pannos Segoviæ, Avilæ & Carthagenæ iidem Galli conficiunt; quorum Madritium ultra 40000. alit. (3) Bodinus lib. v. de Republ. c. I. Anno 1521. decem millia Gallorum opificum in urbe Valentina, jussu Maximiliani, Præregis Hispaniarum, capta sunt; quorum tamen Hispani vades esse, quam ab eis deserere maluerunt. Quo fit, ut Hispania, Gallorum multitudine abundans, connubiis & societatibus utriusque gentis implicata, optimi generis homines, & quidem Gallis & Hispanis præstantiores procreare videatur: quoniam in Hispanis nimia tarditas, in Gallis nimia celeritas notatur. (4) Thomas Campanella, monachus Dominicanus, cornicum oculos confixit, & Saavedra symb. 71. Quia in Hispania quilibet artem aliquam non exercet, hinc tanta rerum est inopia, non quod soli desit fertilitas, si quidem in agris Murciae & Carthagenæ triticum cum fœnore centuplo provenit, adeoque multis illic seculis bel-

lum

lum sustentari potuit; sed quia deest agrorum cultura, exercitium artium mechanicarum, negotiatio & commercium, cui sese ista natio minime applicat, utpote cujus celsus & gloriosus animus, in plebejis etiam hominibus statu suo & sorte, quam natura ei dedit, contentus esse non solet, sed adspirat ad gradum altiorem nobilitatis.

§. XXXII. Commerciis, in omnes mundi partes, opportunus est situs regni: hinc lanam, corium, vinum, oleum, sal, amygdalas, ficus, mella, ceram, crocum, alumen, uvas passas, coccum, olivas conditas, limones, ferrum, saccharum, colores & medicamenta, cum tritico aliorum permutant.

(1) Magna corii quantitas ex America. (2) Bibunt aquam, & vina evehunt, more majorum. (3) De celia & cerra, prisco potu, Meibom. de cerevis. c. 8. Strabo lib. III. pag. 154. *Omnes, qui in montibus degunt, victu utuntur tenui, aquam bibunt. Zytho etiam utuntur.* (4) Phylarchus apud Athenæum lib. II. c. 6. testatur: *Hispanos, quamvis hominum ditissimos, ad quam bibere, solos cibum capere, ob parsimoniam, indui tamen sumtuosissima veste.* Adeo nihil novi fit sub sole Hispano! (5) Hospitalitatis neglectus ex Leodii vita Frid. lib. 6. & Clenardi lib. I. epist. pag. 23. (6) Contrarium apud veteres laudat Diod. Siculus lib. VI. c. 9. *Advenientes externos benigne hospitio excipiunt, adeo ut amulatione quadam invicem pro illorum bo-*

more certent. Quos advenæ sequuntur, hos laudant, amicosque Deorum putant.

§. XXXIII. Hispanorum plerique domi & foris se nobiles jactant, suumque genus a Gothis derivant, sed quorum majores toga aut fago inclauerunt, *Ricos hombres, Hydalgos; Infanciones, Gentiles hombres*, alicubi etiam *Scuderos*, a scuto, appellare solent.

(1) *Ricos hombres* vox generalis, *Titulados* specialis, Ducum & Marchionum. (2) *Dor* aliter in Hispania, quam in Portugallia. (3) Nobilium privilegia & immunitates a tributis: famulitia numerosa quomodo sustententur. (4) Cardinalis Granvellani dictum, apud Amelot ad Tacit. t. 3. pag. 1. (5) Philippus II. plures creavit, ut vilescerent, & permisit terras vendere. (6) Saavedra symb. 66. *Hispani majora, quam ulle alie nationes, habent subsidia, exteris adeundi provincias, quippe quorum Monarchia quaqua-versus se porrigit, præ omnibus tamen aliis, domi in patria sua desident, nisi ad arma forte Mars alio eos avocet.* (7) Causas addit duas: prima, quia non semper occasio navigandi præsto est. Altera, quia vanam habent opinionem, non nisi magna pompa illas peregrinationes suscipi posse.

§. XXXIV. In universum nobiles & plebeji varia habent singularia, quæ partim a causis physicis, partim a diversis victoribus sunt derivanda, de quo-

quorum moribus multa retinuerunt.

(1) A Romanis olim Æra Hispanica, quæ A. 1358. in Aragonia, A. 1383. in Castilia est antiquata. (2) De ejus appellatione Scaliger l. v. de emend. temp. & Resendus in Hisp. ill. t. II. pag. 828. (3) De fatis meliora dedit Vassæus Chron. Hisp. c. 22. & Mariana l. 3. c. 24. (4) Reliquiæ Gothorum in vestitu nigro, genuflexione Aulicorum; etiam in lusu cum gladiis strictis, & officiis aulæ. V. Petrum Panti- num de dignitat. regni & domus regiæ Gotho- rum t. II. Hisp. ill. pag. 195. (5) Festæ tau- rorum venationes & lusus cannarum à Mauris. De modis prandendi, præcedendi, hospitandi singularibus. (6) Lues impura ex America ad Europæos delata.

SECTIO IV.

De Statu Ecclesiastico.

§. XXXV. In ipsis libertatis Evan- gelicæ incunabulis, religionis Christia- næ factores feruntur Paulus & Jacobus, cujus fictæ exuviæ Compostellam bea- runt. Sub Constantino tamen Conci- lium Eliberitanum celebratum est, quod plura exceperunt.

(1) *Ut persuasio hominum, ab antiquo per ma- nus ducta confirmat de Jacobo: nobis receptas opiniones movere non erat animus*, ait Mariana l. IV. c. 2. & 16. (2) De eadem Jacobi hi-

storia judicium Erasmi, Baronii, & Voetii de peregrinationibus Compostellanis; a quibus Bollandus & Henfchenius non abludunt, in Actis Sanctor. Febr. t. I. pag. 6. (3) XVIII. Concilia Toletana in tomo v. & vi. Labbei. De omnibus Garfias Loaysa libro singulari. (4) Ad Osium, Cordubensem Episcopum, qui *εὐίας* & *ὑποσώσεως* discrimen excogitavit, extat Constantini l. un. C. *Tb. de manum. in Eccl.* (5) Saavedra symb. polit. 55. *In Hispania magna cum prudentia varia instituta sunt consilia, pro bona regnorum & provinciarum administratione. Ad eum finem in religiosis ordinibus cogi videmus capitula Provincialia, & generalia in Ecclesiastica monarchia Concilia.*

§. XXXVI. Sub Gothis labes Arianismi eam foedavit, per annos ducentos: sed usque a Recaredo, unica religio Pontificia dominatur, quam ordines monachorum, ad miraculum superstitiosi, Sustainant.

(1) Cleri numerus & opulentia. (2) Jurgia Dominicanos inter & Jesuitas. (3) Hieronymitarum divitiæ. (4) Historia Bibliorum Complutensium. (5) Navaretæ conservatio monarchiæ Hispanicæ laudata. (6) Grotius l. XVII. *Hist. Hispani prudentia præcipuum regni instrumentum habet Jesuitas.* (7) Ferdinandi & Isabellæ mos nepotibus traditus, apud Barclaj. *Satyr. p. IV. c. 7.*

§. XXXVII. Archiepiscopus habet octo, quorum princeps Toletanus, est primas Regni, & Cancellarius natus

Ca-

Castiliæ: Episcopus octo & triginta,
lautis redditibus ornatos.

(1) Primatus & Cancellariatus origo, historia; vis & potestas examinatur, ex Garfia de *Primatu Tolet. Eccl.* Petro de Marca de *Primat. n. 125.* & Tellez ad *cap. coram X. de in int. restit.*
 (2) Reditus Toletani annui 450000. ducatorum, si Vayraccium tom. 11. p. 331. sequamur.
 (3) si Colmenaerium, ipse 700000 fl. Holl. Clerus ejus 800000 habebit. (4) Philippus Ferrarius, apud Tellez t. 1. p. 519. ausus est affirmare: *Archiepiscopum Toletanum tot redditus habere, quæ omnes Italiæ Episcoporum redditus, in unum collectos, superent. Id etiam certum, plus ab eo solo possideri, quam ab omnibus Episcopis Galliæ. Tanta fuit Regum Hispaniæ erga Ecclesias suas pietas!* (5) Mariana lib. 1X. c. 19. fin. de eodem: *Nunc quidem præter nomen nullam ejus potestatis partem exercet in alias provincias Hispaniæ: neque componendis litibus, neque fontibus plectendis, neque legibus promulgandis.*

§. XXXVIII. Regimen Ecclesiarum, ut in aliis regnis Pontificiis, magnam partem a Papa Romano pendet: ut tamen Rex Episcopus eligat, ex constitutione antiqua Concilii Toletani XII. cap. 6. privilegio Hadriani VI. confirmata.

(1) De jure Regis Vasquius, Senator, l. 1. controv. ill. c. 22. n. 16. & Covarruvias t. 1. p. 2. c. possess. §. 10. n. 5. (2) Vicedeatus Papæ cur à Ferdinando Catholico stabilitus. (3) Bo-

dini iudicium lib. 1. de Rep. c. 6. Hispanos re-
ges, *servos Pontificum Romanorum obsequentissi-
mos*, vocantis, refellatur exemplis Caroli V. Phi-
lippi II. III. & IV. (4) Bullæ papales non va-
lent, nisi Rex subscripserit *Parcaur*. (5) Fran-
cisci de Salgado libellus, *de non admittendis Pa-
pæ legibus, sine Regum Hisp. consensu*. (6) Ga-
briel a Darzo *de voto & jure exclusivo Regum
Hisp. in Conclavi*, ut Catholicus, non Christianissi-
mus eligatur.

§. XXXIX. Tres Ordines milita-
res adversus Saracenos instituti sunt:
S. Jacobi, *Alcantaræ*, *Calatravæ*;
quartus *Montesæ* in locum Templario-
rum successit: quintus *Aurei velleris*
vulgo additur: honore primus, sed si-
ne utilitate.

(1) Rex ordinum magister, a temporibus Fer-
dinandi, ex diplomate Innocentii VIII. apud Ma-
rianam lib. 26. c. 5. (2) Illorum privilegia, ve-
stitus & census amplissimus, ex Laet. Rep. Hisp.
pag. 385. & Colmenarii del. pag. 962. (3) Equi-
tum Aurei velleris auctor Philippus Bonus, A.
1430. (4) Occasio nominis, confirmatio, sym-
bolum, silex & igniarium, vid. Bœcler. t. III.
pag. 474. (5) Ejus caput, comitia, amictus &
leges, ex Leibnitio Cod. dipl. p. 2. pag. 17.
(6) Ordinis patrocinium Austriacis magis, an
Hispanis debeatur; quorum Proceres eum diu
fastidiverunt. (7) Seriem & *insignia gentilitia
Equitum* Joh. Jac. Chiffletius edidit: Breviarium
ordinis ejus historicum Julius Chiffletius: quibus
Marchantius, Haræus, Menenius, Mendo &
Justinianus addantur.

§. XL.

§. XL. Adversus eosdem Mauros, Judæos & quoscunque alios, de religione Pontificis aliter sentientes, auspiciis Ferdinandi Catholici & Isabelæ, severissimum Inquisitionis tribunal, *La Santa Inquisition*, cœpit; rabie plus quam Scythica horrendum.

(1) Inquisitio initio seculi XIII. tempore Innocentii III. adversus Albigenfes, Tholosæ inchoata: mox probata a Frid. II. A. 1221. in constitutionibus, apud Goldastum tom. I. Constit. p. 293. deinde in Castiliam traducta à Ferdinando Catholico A. 1478. (2) Thomas Turrecremata, primus Inquisitor Hisp. statim 2000. cremavit. (3) Hodie Monachus Dominicanus ex privilegio Philippi III. est inter Inquisitores apostolicos, non tamen generalis. Vayrac. tom. II. p. 384. Mariana *lib. 24. c. 17.* (4) Inquisitionis jurisdictio, tribunalia 13. carceres, processus, tortura, supplicia, limites, censura librorum, privilegia, Actio de fide *Auto da Fe.* (5) Inter Familiares ejus, viri in dignitate constituti: cum tamen *duri hominis, vel vix hominis sit, periculum capitis inferre multis.* Cicero II. de Off. c. 14. (6) Hermandadæ, Cruciata, Casam limpiam probare, quid sint. (7) Ejus injustitia exemplis Patris Ephraimi, Constantini Pontii, & M. Antonii de Dominis offensa. Bayle in *Carranza.* (8) Erasmus tom. 9. pag. 860. *Res agitur per relatores, deputatos, ac judices monachos, nec sincere, nec legitima juris forma: pronuntiant in carcere tres priores, monachis duobus testibus, & apparatus rogus.* (9) Historiam ejus scripserunt Lud. à Paramo, Cæsar Carema, & Reginal-

naldus Confalvus. (10) Verius depinxit Anonymus in Inquisitione de Goa: (11) optime Philippus a Limborch, in Historia inquisitionis ubi etiam vestitus damnatorum, *Sambenito*, *Fuego Revolto*, & *Samarra* depicti pag. 368. (12) Mariana lib. XIV. c. 17. *Quod usu salutare extitit, grave initio provincialibus visum: parentum scelera filiorum pœnis sui, occulto accusatore reos fieri, neque cum indice compositos damnari &c. Sed præsens remedium adversus impendentia mala, quibus aliæ provinciæ exagitantur.*

§ XLI. Idem Ferdinandus, instigante Ximeno Cardinale, & Inquisitore Turrecremata, A. M. cccc. xcii. ingentem Judæorum multitudinem ex Hispania ejecit, Philippus III. A. MDCX. adhuc plures, maximo cum regni detrimento.

(1) Persecutio prima Judæorum, a Sisebuto Rege Hisp. instituta, circa A. Chr. 620. a Concilio Tolet. iv. damnatur cap. 57. & 59. (2) Altera incidit in A. 1212. ab Abarbanele in Esaiam c. 46. inter quatuor crudelissimas relata. (3) Tertiam Ferdinandi descripsit Mariana lib. xxvi. c. 1. loco memorabili: *Judæorum multitudinem, qui ex Hispania discesserunt, ad certum numerum revocare, promptum non est. Plerique scriptores 170000. familiarum abesse confirmant; quidam ad 800000. capita pervenisse, ait. Ingens numerus, ac vix fidem factururus. Sed unde tamen multis occasio extitit hoc decretum accusandi, gentem copiosam, & quæ omnes vias pecuniæ noverant, amovere, a prudentia Fer-*

Ferdinandi alienum existimantibus. Magno utique compendio fructuque earum provinciarum, ad quas copiarum Hispaniæ magnam partem, aurum, argentum, gemmas, vestemque pretiosam secum detulere, (4) Oblatio 1600000. fl. a Judæis latitantibus facta, si tuto habitare liceat, consilio Ximenii, repudiata a Carolo V. Flechier in ejus vita lib. 6

S E C T I O V.

De Administratione summi imperii.

§. XLII. Procerum regni (*Cortes* vulgo) qui in Comitibus comparent, magna pars a liberis Regum naturalibus, a Gothis & Desiderio Langobardorum Rege descendunt, atque illustri dignitate sunt conspicui, sed viribus attritis.

(1) Procer, nomen dignitatis apud Gothos: nam Concilio Toletano VIII. Dabila & Frolla subscripserunt: *Comes & Procer*. (2) In concilio Toletano XI. c. 5 *Magnates*, & *Primates palatii* vocantur. (3) Grandium origo, classes, privilegia. (4) Auctoritas eorum a Ferdinando Catholico, Carolo V. & Philippo II. accisa, a Philippo III. imprudenter instaurata est. Vid. Ossati epist. 169. & Amelot ad Tacitum tom. I. pag. 362. (5) De Codice Philippi II. historico omnis nobilitatis, Cabrera lib. XII. cap. 16. (6) Comparatio Grandium cum

Principibus Germaniæ, Paribus Galliæ, & Lordiis Angliæ. (7) Aliorum dignitas est hereditaria & terris annexa, quibus Rex dixit: *Tege caput, Dux, N. N. pro te & tuis*: aliorum personalis, *Tege caput*. (8) Primæ classis familiæ Ducum Medina Sidonia, Medina Celi, Arcos, Medina de Rio Seco, quæ Archithalassi Castellæ dignitatem longa ferie, usque ad initium infelix hujus seculi gessit. (9) Vide antiqua apud Selden. de titulis hon. p. 2. c. 4. recentiora in Historia Genealog. & Corpore Hist. geneal. Hispaniæ Imhofii.

§. XLIII. Propter tot dominantium mutationes, vario jure usa est Hispania; primum legibus Romanis; dein Codice legum Gothicarum; postea Alphonsus X. Romana jura patrio sermone restituit; at Ferdinandus V. leges Tauri; ejus successores varias constitutiones adjecerunt, quibus jus regium comprehenditur: hoc vero silente, in causis civilibus juri Romano, in Ecclesiasticis, juri Canonico est locus.

(1) De Turditanis Strabo lib. III. pag. 39. *Meiris inclusas leges habent, a sex millibus, ut ajunt, annorum. Pag. 151. de iisdem: Plane Romanos mores assumserunt, ne sermonis quidem vernacali memores, ac plerique facti sunt Latini; & colonos acceperunt Romanos, parumque abest, quin omnino Romani sint facti.* (2) Quid de lege antiqua Hispaniæ, ab Oldrado conf. 69. memorata, ne quis sub pœna capitis allegaret leges Ro-

Romanas, habendum fit. (3) Codex legum Wisigothorum, duodecim libris, imitatione Codicis Justiniani, ab Eurico aliisque Regibus compositus, atque in Concilio Toletano XVI. confirmatus, apud Lindenbrogium & tom. III. Hisp. ill. pag. 847. sustulit leges Romanas, lib. 2. tit. 1. leg. 9. his verbis: *quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: nolimus legibus Romanis amplius convexari.* (4) Prudentia Alphonfi X. Jus Romanum vernaculo sermone restituentis, laudata a Covarruv. lib. 1. var. res. c. 14. Vid. Ciron. v. Obs. jur. Can. c. 1. & 4. (5) Leges Tauri, à Taoro civitate, & *la Partida*, Septempartitæ, à divisione dictæ, a Gomezio, Lopez Velasquez, Cartello aliisque illustratæ. (6) Legum specimina de adulteris, famulis, filiarum majorennium nuptiis. (7) Quid sit Majorazgo. Vide Gerh. Ernesti de Franckenau, Regi Daniæ à secretis, Historiam Legum Hispaniæ.

§. XLIV. Judicia in singulis provinciis diversa sunt, infima habent suos *Alcaldes & Viguiers*: civitatibus præsunt *les Corrigidors*: ab his ad septem consilia, (*Audientias regales*) appellatur: ab istis denique ad Consilium Regium Castiliæ, *El Consejo Real*, quod vice sacra fungitur.

(1) Ex temperamento gravi & ambitioso, justitia prompta, nisi quod lites de majoratibus diuturnæ. (2) Partium studia optimis legibus exclusa, præsertim in Aragonia, per legem *la Manifestation* singularem. (3) Judices & Advo-

catos decennium oportet juris studio incubuisse; tunc examinantur in Consilio Castiliæ, & immaculatam conceptionem Virginis jurant. (4) Cur Ferdinandus hos noluerit in Indiam proficisci. (5) Antonii Augustini, AEp. Tarracensis, consilium de imitandis Turcis, in justitia administranda, levato velo, lectu dignum, apud Amelot ad Tacitum t. 3. p. 17.

XLV. Fœdera, legationes, belli pacisque negotia, ab ipso Rege, vel in sanctioribus status consiliis, *El Consejo Privado, Consejo di Consciencia, de Estado, de las Indias, de Guerra, de Hacienda, de las Ordines*, expediuntur.

(1) Cum Gallis composita pax *Madritensis, Cameracensis, Crispiacensis, Cambresiensis, Vervinensis & Pyrenæa* A. 1659. d. 7. Nov. in Theatro pacis & *Traité des paix.* (2) Bodinus lib. v. de Rep. c. 1. *Galli queruntur, se ab Hispanis consilio & rerum gerendarum prudentia superari, & in fœderibus sæpissime circumventos. In finitum sit peccata nostrorum hominum singula commemorare: Nam ut superiora prætermittamus, extremo fœdere Cameracensi, quod cum Hispanis idem est, omnia, quæ annorum viginti victoriæ nobis pepererant, momento ablata sunt: cum tamen nec viribus inferiores Hispanis & pugna superiores sæpe fuissetus.* (3) Cum aliis nationibus pax *Monasteriensis, Aquisgranensis, Neomagensis & Ryswicensis* inita: earum tabulæ in *Recueil des traitez*, & apud Lunigium, *part. spec. Cont. 1. & 2.* qui & tabulas fœderum exhibet. (4) *Barclajus Sat. 1. 4. c. 7. Cum externarum gentium Principibus acturi, non ex Optimatibus Ducibusve*

busve. Oratorem legebant, sed ab alicuius monasterii solitudine extractum. Ita, præter recisos legationis sumtus; fidem quoque ejusmodi feciales & reverentiam negotio faciebant.

§. XLVI. Ærarium impletur ex tributis gravissimis, *los servitios ordinarios*, vel *des millions*: ex decimis mercium peregrinarum, fundorum & ædium venditarum, *Alcavalas* vulgo: ex vectigalibus mari terraque, *Almoxarif* & *Puertos secos*; ex magisterio ordinum militarium, *El subsidio*: ex bullis indulgentiarum, *la Cruzada*: ex tertio nummo redituum Ecclesiasticorum, *Terzias*: maxime vero ex aurifera classe Americana; sed gravioribus impensis iterum exhauritur.

(1) Redituum & expensarum annuarum vix certa iniri potest ratio: Linschotanus A. 1578. auri millones 13. & 48000. ducatos numeravit. Abbas Vayracius tom. III. pag. 303. A. 1719. computavit 33. millones Gall. redituum. (2) Alcavalæ origo apud Marianam lib. 16. c. 9. & 17. c. 8. (3) De Cleri oneribus extraordinariis Offatus epist. 76. 274. 283. (4) Causæ ærarii inopis, & cur reliquæ nationes aurum Indiæ inter se dividant, Hispani cuprea moneta utantur. V. Voyage d'Aunoy. (5) Apud Thuan. lib. 120. Philippi II. morientis dictum: *Se 5594. auri myriadas inutiliter consumsiffe, nec ullam aliand tantæ operæ pretium superesse, præter Lusitaniæ regnum.*

regnum, quod tam facile amitti possit, quam cito concepta de Franciæ regno spes evanuerit.

§. XLVII. Militia olim ita valuit, ut paucis gentium cesserit; quia ambitio, fortitudinis mater est, & robustum genus hominum, patiens inediae, prudenter cunctatur, & pugnat animo ad spes susceptas pertinace: in phalange tamen, quam in singulari discrimine fortiores.

(1) Aristoteles lib. VII. Polit. c. 2. *bellicosam gentem* vocavit. *Feram Iberiam* Horatius lib. 4. Ode 5. v. 27. *Latis audax Hispania terris* Tibullus lib. IV. carm. I. v. 138. (2) Livius lib. XXVIII. c. 12. *Hispania, non quam Italia modo, sed quam ulla pars terrarum, bello reparando aptior erat, locorum hominumque ingenii* Florus lib. II. c. 6. *bellatricem, viris armisque nobilem Hispaniam*, vocat, *seminarium hostilis exercitus, Annibalis eruditricem*. (3) Fama gladiatorum & gætorum telorum Hisp. apud Romanos, ex Polybio, Livio, & nummis, in quibus & eques hastatus. vid. Casaubon. ad Strabon. t. I. p. 232. (4) Causæ, ob quas gloria illa hodie imminuta cernatur, ab inertia Imperantium, luxu, comædiis in castris, defectu virorum & ducum, pariter ac olim, teste Floro l. II. c. 17. n. 13. (5) Guicciardinus lib. x. *Nupero experimento constiterat, peditum Hispanorum virtutem antiquæ ipsorum famæ respondere: nullosque magis idoneos esse ad obsidenda oppida, propter agilitatem illorum & industriam.*

§. XLVIII.

§. XLVIII. Disciplina navali vastissimi imperii membra, olim conjungenda erant; hinc tres classes, velut totidem nervi, alebantur: a Gallis, Anglis & maxime à Belgis dudum quassatæ & fractæ.

(1) *Navis Hispana magister* Horat. III. carm. 6. *Naves Hispania desert*, Sidonius carm. 5. v. 49. (2) De ναυπηγία veterum & sparti abundantia Gothofred. ad vet. orb. descript. c. 50. (3) *Classis Philippi II. falso invincibilis dictæ*, apparatus, sumtus, pugna, clades, ejusque causæ, A. 1588. ex Camdeno ad d. A. Thuano lib. 90. Grotio lib. 1. Hist. (5) De mandato Medinæ Sidonio dato. (6) Epigrammata & nummi in victoriam, apud Anglos, Hollandos & Zelandos, ex Bizoto aliisque. *Hesperidum Regem devicit virgo: in alio: Dux femina facti.* (7) Cur navibus majoribus hodie non utantur. (8) Unde remiges & nautæ. (9) De classe aurifera plura. (10) Tacitus lib. XVI. Annal. c. 3. *Gliscebant interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes, quasi oblati, quas multos per annos prodigerent. & divitiarum expectatio, inter causas paupertatis publicæ.*

SECTIO VI.

De Forma Regni.

§. XLIX. Imperii forma nunquam alia.

alia, quam monarchica viguit; licet Regum potestas, diversis temporibus, aliis in regnis adstrictior, in aliis liberior fuerit.

(1) Aragoniorum summus Magistratus, *El Justicia*, Regem olim jurejurando obstrinxit, his verbis: *Nos, qui tantum valemus quam Vos, & plus, Vos creamus Regem & dominum, ea lege, ut libertatem & jura nostra conserves, sinon, Rex non eris.* (2) Sustulit hoc Petrus I. *ab acinace* dictus: multis tamen privilegiis salvis, quæ vid. apud Vayracc. t. I. pag. 98. (3) ea rursus a Philippo II. restricta, occasione Antonii Perezii, Aragonii, ad ea provocantis; apud Thuan. lib. 104. (4) Prorsus adempta à Philippo V. A. 1705. quod in Austriacos fuerant prouiores. (5) Vestigia libertatis apud Catalanos, Cantabros & Navarrenses. (6) Dictum Innocentii VIII. *Hispanos attentos esse ad regimen, nec in eo facile errare.*

SECTIO VII.

De Ratione Status.

§. L. Hispaniæ vires, olim immane quantum decantatæ, fama magis, quam re steterunt: regio enim, quasi ad sterilitatem & solitudinem damnata, caret agricolis, nautis, & opificibus; gemit sub multitudine cleri; Procerum regni

regni quidam decoxerunt; Indiæ gazas privati auferunt & exteri: membra quoque tam vasti imperii nimis distracta fuerunt, quam ut de amissis recuperandis laborare debeat.

(1) Ad morbos & illorum remedia, a ministris status subministrata A. 1619. surdum fuisse Philippum III. queritur Saavedra Symb. 49. (2) Lepida fictio Trajani Boccalini, hostis hujus nationis, alias *Discursista contra la toda nacion Espanola*. in Lapide Lydio, cujus pœnas morte dedit. Vid. Erythræi pinacotheca pag. 271. & 766. (3) Baco de Verulamio ferm. 56. *Quando nativæ copię deficiunt, omnia ruunt, atque aliis gentibus in prædam cedunt. Hoc evenit in declinatione Imperii Romani, atque simile quidpiam etiam Imperio Hispanico contingere posset, si quando viribus decideret.*

§. LI. Vicinam Galliam, per tria secula, habuit infensissimam, Austriam amicam; nuper versa fortuna, mutuis affinitatibus cum priore conjungebatur, Portugalliæ suspectis. Si Anglis & Batavis tractatus commerciorum serventur, nil ab ipsis periculi videtur. Cum Ultramontanis cur tanta, ut olim, amicitia colatur, ratio cessat: nec tamen omnis, præcipue cum Papa.

(1) De Gallia & Hispania mutuis federibus & affinitatibus jungendis, consilia Mazarini in epist. Ossati ep. 336. & Cardinalis Barberini, ex Bentivoglii Historia belli Flandr. (2) Ludovicus

vicus Auberius in præfat. comm. rer. Holl. *Principes, ait, propter utilitatem sæpe sacrificant illud, quod inter homines est sacratissimum, & maxima pars summorum imperantium non ultra observant justitiæ, affinitatis aut religionis regulas, quam quatenus expedit.*

§. LII. In Africa curat, ne Ceuta à Mauris occupetur; in America portus Havana, Vera Crux, S. Dominici oppidum, Panama & Porto Bello custodiuntur. A Turcis non multum est, quod metuat: a Rebuspublicis prædatoris minus.

(1) An recte S. Olon in relation de l'Empire de Marocco dixerit, Mauros non serio obsidionem urfisse. (2) America aliis stomachus Hispaniæ dicta; alii eam grallis compararunt. (3) Boccalini iudicio non multum prodest. (4) De Americæ munimentis, Gage in descriptione Americæ, & le Politique desintereffé A. 1671.

§. LIII. Affectati orbis terrarum imperii opinio Hispaniam, dum florebat, invisam fecit Europæ: nunc maximorum imperiorum hoc fatum esse experitur, quod in eodem loco consistere non possunt.

(1) Fundamenta, prætextus, media illius affectationis, & vaticinia eo detorta. (2) Iudicium de Thomæ Campanellæ & Leti Monarchia universali, (3) Vid. Speculum Confiliorum Hispanicorum, in quo Regis Hispaniæ machinationes variæ, pro nova monarchia representantur. (4) Wilhelmus Ancellus, Henrici

IV. legatus, apud Thuan. init. libri 118. Philippum 36. abhinc annis, atque ex quo in Hispaniam reversus sit, nihil aliud animo agitasse, quam ut, quod magnanimus ac prepotens pater ejus frustra armis, tota vita conatus fuerat, astu & fraudibus perficeret, & Monarchiam totius orbis Christiani, Principibus ceteris sub jugum intolerandum missis, usurpares.

S E C T I O VIII.

De Singularibus Regum.

§. LIV. Regnorum titulis Rex Catholicus in diplomatis utitur sequentibus: *Ludovicus I. Dei gratia Rex Castellæ, Aragoniæ, Legionis, utriusque Siciliae, Jerusalem, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentie, Galliciæ, Majoricarum, Hispalis, Cordubæ, Corsicæ, Murciae, Grennis, Algarbiorum, Algeziræ, Gibraltaris, ac Insularum Canariæ, & Indiarum, tam Orientalium, quam Occidentalium, ac terræ firmæ, Maris Oceani: Princeps Asturiarum: Dux Mediolani & Burgundie: Archidux Austriae: Comes Flandriæ, Burgundiæ & Cataloniae: Dominus Biscayæ & Molinae &c.*

(1) Ludibrium Gallorum in titulos has multisque

tisque verbis insignes appellationes. (2) Amplissimus *Catholici* titulus jam Recaredo tributus, sed ab Alexandri VI. & Ferdinandi temporibus perpetuo coronæ adhæsit. (3) Baronius A. 638. n. II. *Haud recentem, vel indebite usurpatum titulum Hispaniarum Regum, ut Catholici cognominentur: utpote tanto facti titulo digni, quod non solum putent se fore Catholicos, sed non passuros quemquam non Catholicum, in amplissimo suo Regno reperiri.* (4) Titulo Imperatoris usi fuerunt Sancius M. Ferd. M. Alphonfus VI. VII. VIII. & X. sed orbis non asurrexit. (5) De Alphonso VII. Sandoval Chron. c. 62. *Ego Idelfonsus, Felix, Inclitus, Triumphator, ac semper Inuictus, divina providentia totius Hispaniæ fortissimus Imperator.*

§. LV. Insignia regni, nomine Castiliæ, repræsentant castellum aureum, tribus turribus eminentibus tripliciter pinnatum. Leo rubeus coronatus Legionis regnum notat. Aragoniæ symbolum sunt quatuor rubei pali: Granatæ, prasinum malum Punicum, ramulo & foliolis viridibus sustentatum, hiantes cortice, granulis coccineis &c. &c. Supra est corona clausa, globo & cruce fastigiata.

(1) De singulis his & reliquis Spener Hist. inf. ill. lib. I. c. 38. (2) Catenæ aureæ Navarræ unde. (3) De corona a Philippo II. mutata, Chiffletius Vind. Hisp. c. XI. p. 165.

§. LVI. De prioritate ordinis, à Caroli

roli V. temporibus, inter Gallix & Hispanix Reges disceptatum fuit, argumentis undique conquisitis, ex ortu, potentia, religione, inanibus tituli, antiquitate & multitudine Regnorum &c. priore prævalente.

(1) Causam Hispanorum egit Valdesius, *de dignitate Regum Regnorumque Hisp. & Hispaniiffimus* Joh. Jac. Chiffletius, in *Vindiciis Hisp. Luminibus vindiciarum, Lampadibus Historicis & Ampulla Remensi.* (2) Pro Gallis pugnavit Bouchetus, Bodinus, Chaffaneus, M. Anton. de Dominis, Tenneurius, Auberius, Jac. Gothofredus, & libro singulari Th. Gothofredus *de Præced. Regis Franciæ.* (3) Statum reip. præsentem in ea controversia inspiciendum esse.

(4) An Pontifex sit ejus arbiter.

§. LVII. Modus sceptri capessendi, Gothorum tempore, fuit electio, in comitiis, à Magnatibus & populo facta: nunc autem successio linealis cognatica obtinet, in qua feminæ & à feminis nati non excluduntur, ex testamento Philippi II. A. M D XCVIII.

(1) Concilium Tolet. v. cap. 3. *Si quis, inquit, ad Regiæ majestatis ambitu pervenire vestigia, quem nec electio omnium præficit, nec Gothica gentis nobilitas ad hunc apicem trahit, sit consortio Catholicorum privatus, & divino anathemate damnatus.* (2) Electorum Regum exempla, ex Historia & Conciliis: etiam post Pelagium, a quo successionem male derivat Molina de Primog. Hisp. lib. I. c. I. & Camil-

Ius Borell. de Regis Cathol. præst. c. 58. cum Alphonso Magno debeatur. (3) Quo fundamento Philippus introduxerit linealem; ex Thuano lib. 120. ad A. 1598. (4) Quomodo Castellana differat à successione juris Francici, ex Grotio lib. 11. c. 7. §. 22. Pufendorf l. VII. c. 7. §. 13. & dissertat. de Rebus gestis Philippi. (5) Covarruyas t. 2. Pract. quæst. c. 1. n. 7. *Post Pelagium, Castellanae Reip. regnum ipsis Regum primogenitis in huuc usque diem delatum est, idque lege constitutum, l. 2. tit. 15. part. 2.* (6) Addit Molina dicto lib. 1. c. 1. n. 10. *Quamvis lex Partitarum de sola Regni Castellæ successione disponat; idem de omnibus aliis Hispaniarum Regnis, quæ regno Castellæ adjuncta sunt, dicendum erit; cum sive ex Regnorum lege, sive ex consuetudine, eundem succedendi ordinem sequantur, ut plus quam notissimum est.*

§. LVIII. Si filia renunciat, matris factum nocere non potest liberis natis, quia jus proprium ex lege habent; nascituris potest: maxime, si renunciatio ab Ordinibus & Curia Regni solenniter fuerit confirmata.

(1) Exemplum recentius renunciantis Mariæ Theresiæ, ex epistolis Mazarini illustratur. (2) Grotius lib. 11. c. 7. §. 26. *Illud interest, ait, inter natos & nascituros, quod nascituris nondum quæsitum sit jus, atque adeo auferri possit populi voluntate, si etiam parentes, quorum interest, jus ad filios transire, jus illud remiserint.* (3) An Lud. Molina, *de Hispanorum primigen. origine & natura*, jam, olim, ante hanc controversiam motam, recte negarit, jus primogenituræ in hoc regno renunciatione tolli posse.

(4) Obrechtii *Excerpta Historica & juridica de natura suceffionis Hisp.* Buddei *diff. de testamētis summorum imperantium speciatim Caroli II. Hisp. Regis.* Abustonii, aliorumque scripta huc pertinentia. (5) Gallos, quondam ductis primogenitis filiabus, Johanna & Blanca, regnis Aragoniæ & Legionis inhiassē. (6) Secundogenitæ cur Austriacis datæ.

§. LIX. Regna pleraque paternis olim testamentis, velut patrimonialia, delata fuerunt, sed heredibus legitimis, non extraneis, & populi, vel Procerum consensu accedente.

(1) Exempla ex Vafæo, Roderico Toletano, & Marinæo Siculo, apud Cabotium var. jur. publ. ac priv. disput. lib. 1. c. 10. p. 58. quibus adde Marianam lib. 19. c. 15. (2) Caroli II. testamentum examinatur, quoad materiam & formam. (3) Tractatus divisionis à Wilhelmo III. Britanniæ Rege propositus, A. 1700.

§. LX. Antiqui Gothorum Reges sacra unctioe delibuti sunt, priusquam ceteri Reges Christiani ea uterentur: deinde etiam Reges Castellæ & Legionis: hodierni vero, quia mero sanguinis jure succedunt; superfluam illam ceremoniam ducunt.

(1) De Wamba A. 672. Toleti uncto, Johannes Magnus lib. VI. c. 22. *Sanctorum Regum exemplo, per manus Pontificum inunctus & coronatus est.* (2) Cur ritus ille Hebræus à Gothis primum in usum revocatus vid. Alteserra ad Greg. Turon. lib. 3. c. 30. & Coitius in

Ann. A. 584. (3) cur à recentioribus spretus. V. Chiffet. de Amp. Rem. c. 16. (4) Actus inaugurationis, exemplo Emmanuelis & Isabellæ, apud Oforium lib. 1. illustratus. (5) Rex jurat: Proceres, Consiliiarii & Procuratores civitatum ejus manum osculantur. (6) Quid sit *Jurar al Rey; & Besa manos.*

§. LXI. Ad characteres Regum pertinet, quod Ferd. Catholicus prudentissimus, potentiaë fundamenta jecit: Carolus I. alias V. armis auxit: Philippus II. animo elato, & consiliis sagacissimis firmavit. At sub Philippo III. obnoxio Duci de Lerma; Philippo IV. mulieroso, & Carolo II. infirmi animi & corporis principe, nutavit Regni fortuna, jacturis concatenatis.

(1) Rex Ferdinandus Sanctus, Alphonfus Magnus, Sanctius Fortis, Jacobus Pugnator, Alphonfus Magnanimus &c. (2) Sacra ostentatio à Ferdinando nepotibus tradita; ex Verulamio, Thuano, Barclajo. (3) Ferdinandi & Isabellæ res gestas Petrus Martyr in epistolis, Nebriffensis & Varillafius (4) Caroli V. Ulloa & Sandoval: Philippi II. Cabrera, Leti; & varia hominum de eo judicia, Grotius descripsit lib. v. Hist. pag. 331. (5) Ejus repulsæ à duabus Elifabethis, & phtiriasis. (6) Carolum nil fecisse præter testamentum.

§. LXII. Philippus V. septimam familiam regalem, initio hujus seculi A. MDCCCL. inchoavit, sed bellis, morbis

bis & plus uno sanguinis ictu fatigatus, alias forsan etiam ob causas, non vulgatas, in ipsa virili ætate a. d. 13 Jan. MDCCXXIV. regno se abdicavit; Sed, mortuo filio primogenito, scepra iterum suscepit, anno sequente:

(1) Familiæ imperantium diversæ ex successione feminarum ortæ sunt; Pelagiana, Alphoncina, Castellana, Burgundica, Aragonica, Austriaca, Gallica. (2) Abdicantium raritas, ex cupidine imperandi mortalibus insita, quæ cunctis affectibus flagrantior est, auctore Tacito xv. Ann. 53.

(3) De Wamba, Rege Hispaniæ A. 650. & Carolo I. monasterium ingressis A. 1557. Strada lib. 1. de bello Belgico pag. 16. *Non ignoro, eam rem tam vario tunc hominum sermone fuisse disceptatam: hodieque declamatorum in scholis, politicorum in aulis argumentum esse, CAESAREM ABDICANTEM.* (4) Locus Juvenalis sat. I. v. 16. applicatus, *Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum Dormiret.* An Philippus II. idem animo volverit, ut fieret Papa. Vid. Chiverni memoires pag. 293. (6) Dictum ejus: *Anniversarium esse diem, quo patrem abdicacionis pœnituerit*, explicatur ex Strada & Baylii diction. in Charles Quint. (7) De rennutiatione Philippi V. in Galliæ regnum. A. 1712. de 5. Nov. & in pace Trajectina A. 1713.

§. LXIII. Ejus filius primogenitus Ludovicus I. interea scepra gessit; natus A. MDCCVII. die 25. Aug. ex Maria Louysa Gabriele Sabaudica: duxerat Louif. Mar. Elisab. Montpensieriam

riam, Philippi II. Aurelianensis filiam A. 1722. d. 20. Jan. Obiit A. MDCCXXV. sine prole.

(1) Cur Ludovicus jam A. 1709. d. 7. April. Princeps Asturiarum declaratus. (2) Ejus ephori Cardinalis del Giudice & Ferdinandus Suarez, Comes de Figuerora. (3) Eo mortuo Ferdinandus frater, A. 1725. d. 13. Nov. Princeps Asturiarum factus.

§. LXIV. Filius Regis primogenitus *Princeps Asturiarum* (*Prencipe de las Asturias*) reliqua regia proles mascula *infants*, feminina *Infantes*, eorumque apanagium *infantaticum* appellatur.

(1) Cur Asturiæ is honos habitus ex A. 1338. (2) Princeps Asturiarum fit proclamatione solenni, non nascitur. (3) Infantum honos & privilegia. (4) Nomen, quia in administratione regni fari non possunt. v. Sebast. Covarruv. in thes. linguæ Castil. (5) Non lugentur ante annum ætatis 7. ex constitutione Philippi II. (6) Cur is filium suum Carolum occidi voluerit: an quia *dare buccæ fuit, linguosus, non homo?* ut Marville melange d'Histoire vol. 2. pag. 172. (7) De Reginis, concubinis & liberis naturalibus singularia. (8) De Camarera majore. (9) Mariana lib. xviii. c. 12. *Henrico & Catharina, ut Asturum Principes vocarentur, datum, more ex Anglia translato, ubi Regum filii majores Walliæ Principes nominantur, quod ab hoc initio susceptum ad nostram ætatem conservatur, ut Castellæ Regum majores filii Asturum Principes sint; quibus annis consequentibus*

bus Ubeda, Biatia Illiturgisque sunt adjectæ.

§. LXV. Ministri Regis primarii sunt: Archi-Episcopus Toletanus, Inquisitor generalis, Marchio Mirabelanus, Præses Castiliæ, Don Michael de Guerra, Marchio de Ledesma, de Ripperda, Marchio de Valero, & Comes de St. Estevan del Puerto.

(1) De Eleemosynarii magni officio quod gerit Aep. Compostellanus, qui & Patriarcha est Indiarum. (2) Magistri S. Palatii, potestas accisa. (3) De Cubiculario Supremo, Magistro libellorum, Comite stabuli. (4) De Archithalasso Castiliæ &c. &c.

§. LXVI. Inter palatia regia eminet Madritianum, Buen-Retiro, Aranjuez, Casa del Campo, Ildefonso, Pardo, Caza Vazia, & maxime palatium Scorialense, inter mundi miracula relatum, sed infra famam.

(1) Aranguez prope Toletum, opus naturæ: Escuriale opus artis, prope Madritium. (2) Inchoavit hoc Carolus I. Philippus II. III. & IV. immensis sumtibus absolverunt. (3) Incendium septem dierum A. 1671. magnam ejus partem hausit, ut nunc sit infra famam. (4) Tria in eo spectanda, Templum, Palatium & Bibliotheca. (5) Acta foundationis Philippi II. ad mausoleum Caroli. I. omnisque regię familiæ, sepulchrum quod Pantheon dicitur, habet Cabrera lib. VI. Hist. c. 2. (6) De monachis Hieronymitanis, etc. Mazzolar de *Reali grandez-*

aezze dell' Escuriale di Spagna. Madame d'Au-
noy, Colmenaer aliique.

S E C T I O IX.

De Viris illustribus.

§. LXVII. Inter præcipuos Mini-
stros clari fuerunt, sub Ferdinando,
Cardinalis Franc. *Ximenius*; sub Caro-
lo I. Cardinalis *Gattinara*, & *Nicolaus*
Perenotus Granvellanus; sub Philippo
II. *Antonius Granvellanus*; sub Philip-
po III. *Don Franciscus Sandoval*, Car-
dinalis, & *Dux de Lerma*; sub Philip-
po IV. *Don Caspar de Guzman*, Comes
de Olivarez, & *Ludovicus Mendesi-
us de Haro*; sub Carolo II. Cardinalis
Nidhart, *Don Juan d' Austria*, Ma-
rechallus *d' Harcourt*, & Card. *Porto-
carrero*, sub Philippo V. *Amelot*, *Or-
ry*, *Alberoni* &c.

(1) *Ximenis* quædam memorabilia, ex Go-
mecio, de rebus gestis *Francisci Ximenis*, *Esprit*
Flechier Histoire du Card. Ximenes, & *Marso-
lier histoire du Ministere du Cardinal Ximenes*
*Richard parrallele du Card. Ximenes & Riche-
lieu*. (2) *Perenotus* fabri ferrarii filius, alias
Granvellanus. (3) *Vita Ferdinandi Toletani, Ducis*
Albani (4) *Fata Ducis de Lerma*. (5) *Vitia*
&

& virtutes Guzmanni Comitis d'Olivarez v. *Histoire du ministere du Comte d'Olivarez.* (6) De Nidhardo Bayle. (7) Inscitia Ludovici de Haro. (8) Saavedra symb. polit. 2. *In Hispania Gusmanii putantur boni, Mendozæ humani, Manriquezii formidabiles, Toletani severi & graves.*

S E C T I O X.

De Scriptoribus Hispanicis.

§. LXVIII. Hispaniæ situs antiquus lucem accipit ex Ludovici Nonii Hispania: utet ex Petri de Marca, *Marca Hispanica*, Paris, 1688. & Arnaldi Oihe-narti notitia utriusque Vasconiæ, Paris. 1638. Recentiore Geographiam Martinus Zeillerus in *itinerario*, Colmenarius in *delices*, Abbas Vayraccius aliique dederunt.

(1) Ludovici Nonii, Medici Antwerpiensis, Hispania, sive populorum, urbium, insularum, ac fluminum in ea accuratior descriptio, extat tom. iv. *Hisp. illustr.* pag. 373. (2) Antiquitates Madritenses Hieronymus de Quintana, Sevilienses Rodericus Caro, Salamancenses Gonsalvus d'Avila descripserunt. Ambros. de Morales *las Antiquedadas de las Cividades de Espanna.* (3) Adolphi Occonis Inscriptiones antiquæ, in Hispania repertæ.

§. LXIX.

§. LXIX. Inter Historicos eminent *Rodericus Ximinius*, AEp. lib. novem de Rebus Hisp. L. *Marinaeus Siculus* de rebus Hisp. memorab. lib. 22. *Rodericus Sanctius* Hist. Hisp. part. quatuor: sed Joh. *Mariana*, Jesuitarum annosissimus, in triginta, de rebus Hispan. libris, amore veritatis & delectu verborum. omnibus præripuit palmam; cujus Anacephalæosin *Alphonsus Sanchez* Latine, plures *abregés de l'histoire d'Espagne* scripserunt.

(1) In vernaculo Hispaniæ sermone plures Historici: ut *Ambrosius Morus*, *Hieronimus Zurita*, *Stephanus Garibajus*, *Florianus à Campo*, *Saavedra Faxardo*, & *Petrus Antonius Beuterus*, his in oris rarissimi. (2) *Rodericum valde gravem & certum auctorem* Zurita vocat tom. I. l. I. c. 37. *cujus semper in Hispania vivet auctoritas*, *Mariana* scribit lib. 13. c. 5. *bonus, quantum potuit illo ævo*, ait *Lips.* not. ad lib. I. Polit. (3) At *fabularum patrem & patronum* *Petrus de Marca* appellavit lib. III. *Marcae Hisp.* c. 6. (4) *Marianæ laudes, duoque nævi, superstitio & mordacitas in Reges.* (5) Editio ejus *Moguntina* 1605. habet libros 30. *Toletana* tantum 20. (6) Ipse opus suum convertit in linguam Hispanicam, ut à popularibus legeretur. (7) *Pestilens ejus scriptum, de Rege & regis institutione*, *Parisiis* combustum. (8) *Historiæ simplicitatem laudat* *Rapin* reflexions

ons sur l'Histoire n. 3. c'est un chef d'œuvre des derniers siècles. (9) Thomas Thomayus de Vargas vitam & apologiam Marianæ, Pedro Mantuano advertentias ad ejus Historiam scripsit. Vid. etiam Bayle in *Mariana*.

LXX. Statum Hispaniæ politicum varia industria & temporibus diversis Valdesius, Campanella, Th. Leodius, & Laetius illustrarunt. Præ ceteris vero *Voyage d'Espagne*, tum *Memoires de la cour d'Espagne* & *Relation d'un voyage d'Espagne*, par Madame la Comtesse d'Aunoy, Maxime vero abbatis Vayracii *Etat present de l'Espagne* commendari merentur.

(1) Damianus a Goes ordines sacros, Episcopatus & Duces descripsit, in Hispania sua t. 1. Hisp. illustr. pag. 1160. (2) Fata misera Campanellæ. (3) Bossii Hispaniæ notitia ad finem non perducta. (4) Boisselii *Voyage d'Espagne* laudetur. (5) De Madame d'Aunoy Baylius in diction. art. Nidhart lit. c. *C'est dommage, qu'on ne puisse persuader au public, qu'elle merite beaucoup de creance. On s'est laissé prevenir de la pensée, que ses ouvrages ne sont qu'une melange des fictions & des verités: moitié Roman, moitié Histoire: & l'on n'a point d'autre voie de discerner ce qui est fiction d'avec les faits veritables, que de scavoir par d'autres livres, si ce qu'elle narrée est vray. &c.* (6) De eadem Vayrac. t. 1. pag. 5. *On ne voit depuis le commencement jusqu'à la fin, qu'un enchainement de contes fa-*
bu-

buleux, ou de railleries piquantes, pour tourner les Espagnols en ridicules. (7) Idem de Jour-dano sit judicium, qui auctor est de la clef du cabinet des Princes, & des Voyages historiques de l'Europe.



CAPUT V.

DE

PORTUGALLIA.

SECTIO I.

De Ortu & progressu civitatis.

§. I.

Lusitania à Phoenicio, vel Syriaco vocabulo *luz*, id est amygdalo, Arabibus *loz* dicto: Portugallia à *Porto*, portu, *Puerto*, Durii ostio adposito, vulgo *Port a Port*, & oppido *Cale*, vel *Calle*, quod in colle vicino, nomen accepit.

(1) Varronis & Plinii, de Luso Bacchi comite, fabula, ejusque origo. vid. Bochart. lib. I Geogr. c. 35. (2) Portucaliæ nomen, non à *Portu Gallorum*, sed *Callaicorum*, jam seculo quinto usurpatum pro provincia, quæ hodie *Entre-Donro-e-Minbo* vocatur. (3) Callaici jam

T

tem.

tempore Strabonis lib. III. p. 152 & CALLAECIA apud Gruter pag. 193. & 402. (4) Vid. Voss. lib. I. de idolol. c. 34. & Isaac. Voss. ad Melam lib. II. c. 6. ubi Sallustium primum oppidi *Cale* meminisse docet.

§. II. Gentes primum habuit Phœnices, dein Lusitanos, Celticos, Turdulos & Vettones. Ex divisione Augusti, pars tertia Hispaniæ fuit, & extrema provincia Romana. Seculo V. ab Alanis, mox a Suevis, tum a Gothis, postea, sub Roderico, a Mauris A. DCCXIV. est occupata: quos Ferdinandus M. Rex Castiliæ, fine seculi XI. ex Portucalia, quæ tantum pars Lusitaniæ erat, ejecit.

(1) Florus II. c. 17. *Lusitanos Viriatus erexit, vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque Imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus.* (2) Formam reip. sub Romanis descripsit Plinius lib. IV. c. 22. (3) Plenius Andreas Resendius, in Antiq. Lusit. cum scholiis Vasconcelli. (4) In l. 8. D. de *Censibus* pro Lusitania, *Lusitania* legendum, ut in l. 21. D. de *Neg. gest.*

§. III. Ferdinandi successor, Alfonsus VI. huic provinciæ generum suum Henricum, ducem Burgundiæ A. 1093. præfecit: cujus filius Alfonsus I. occupata fere tota Lusitania, se Regem Portugalliæ pia fraude dixit, A.

A. 1139. & solenni ritu est coronatus

A. 1181.

(1) Henricum, regiae profapiae stirpem, cur alii Byzantinum, alii Lotharingicum fuisse scripserint? Bodinus lib. 1. de Rep. c. 9. Bononiensem vocat. (2) Ejus conjux Theresia, filia Alfonsi legitima, non naturalis, attulit in dotem. (3) Epistola Alfonsi, ad Henricum generum suum, est apud Leibnit. Cod. dipl. prodr. n. 2. (4) Bullam Alexandri III. regiam dignitatem confirmantis A. 1179. Brandaon & Vasconcellus descripserunt. (5) Alphonsi & Lucii II. epistolas Baluz. lib. 2. Misc. p. 220. edidit. Vid. Pagi crit. ad A. 1139. n. 23.

§. IV. Regnum quingentis fere annis sic avulsum, atque ab Johanne II. & Emmanuele terris & opibus auctum, ad reliquum Hispaniae corpus rediit, tempore Philippi II. A. 1580. sed, post annos sexaginta, multis retro collapsis, sui juris iterum factum est i. Dec. 1640.

(1) Philippi II. rationes adversus Bragantiae duces, ceterosque competitores, post obitus Sebastiani & Henrici, excussae, Thuan. lib. 69. & Haræ. t. 3. p. 322. (2) De quatuor Pseudo Sebastianis quaedam non vulgaria. V. Chifletii Teneurium expensum c. 7. & 8. & Rupert. ad Valer. Max. lib. 9. c. 16. (3) Quo jure Lusitani se vindicaverunt in libertatem? Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 4. §. 14. (4) Hieron. Osorius de rebus Emmanuelis, Conestaggius de unione Port. lib. 3. & 4. & Cajetanus Passarelus in bello Lusitan. laudati.

§. V. Ultima periodus ab A. MDCXL. ad nostra tempora decurrens, Johannem IV. Alphonsum VI. Petrum II. & Johannem V. Reges dedit.

(1) Alphonfus VI. ob malam educationem se abdicare coactus A. 1668. anno sequente, in insulam Terceram, postea Olyfiponem delatus, obiit A. 1683. (2) Petrus II. ejus duxit uxorem Sabaudam, Clemente XI. dispensante. (3) Is libertatem regni obtinuit ab Hispanis A. 1668. post bellum 28. annorum.

S E C T I O II.

De finibus & natura regionis.

§. VI. Territorium principale, haud amplum, migrat fines Lusitaniae antiquos, & in quinque Provincias dividitur: quibus sexta, tempore Alfonsi III. accessit, & nomine *regni Algarbiae, cis & trans mare in Africa*, prioribus adjungi solet.

(1) Limites Lusitaniae varii & saepe mutati, ut nulla Lusitaniae portio cum Portugallia communis superfit. (2) Algarbia non a camporum fertilitate, ut Navarra & Polonia, sed a situ ad mare dicta; ut Pomerania, a Slavorum *Po* ad, & *morze* mare. (3) Vide les Delices de l'Espagne tom. v. pag. 809.

§. VI. Fluvii sunt: Minius, *Minho.*

ho: Munda, Mondego; Anas, Guadiana; Durius, Douro; & Tagus Tago, quorum duo posteriores auriferis arenis celebrantur.

(1) Justinus lib. 44. c. 3. *Minii copia vicino flumini nomen dedit.* (2) Fabula de Anæ conditorio mirabili, ex Plinio lib. III. c. 1. ab Ortelio & Ablancourtio in mem. p. 47. recte explorata. (3) De Tago Ovidius 11. Metam. 251. Mela III. c. 1. Plin. IV. c. 22. & Silius Ital. lib. 1. v. 234. (4) Refendius lib. 11. Antiq. Lusit. *Celebris illa auri fama, per omnes Poetas vulgatissima, obscurior modo ac prope extincta est, cautione legum, ne commotæ arenæ depressiores frumentarios agros nocumento adficiant. In testimonium tamen cantatæ gloriæ Regum Lusitanorum, sceptrum ex Tagano auro, quo purius reperiri nullum potest, factum & scimus, & non semel vidimus.*

§. VIII. Civitates principes, Episcopis atque privilegiis ornatas, habet octodecim, (*Cividades* vulgo) quarum caput est *Lisbona, Lisabon*, veteribus *Olisipo* dicta, Regum sedes, & emporium totius Europæ celeberrimum: CDXVII. minores villæ dicuntur.

(1) Nugas esse Strabonis & Solini, de Ulysse, Olisiponis conditore. (2) Seneca epist. 88. quæstionem inutilem judicat esse: *Utrum Ulysses intra Italiam & Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem.* (3) Vid. Damiani à Goes Descriptio urbis Olisiponenfis, quæ *Felicitas Julia*

Latinis. (4) Bracara & Eboracæ Episcoporum sedes.

§. IX. Urbibus munitis olim fere caruerunt Portugalli, quia natura ipsa montibus eos munivit, & ad alterum latus Oceano ac portibus erant tuti; quorum potiores sunt *St. Ubes*, *Porto*, *Lisabon*, *Faro* &c. Verum ex quo ab Hispania divulsi, opera Schombergii, Galliciam versus & Legionem, urbes muniverunt.

(1) Vid. Memoires d'Ablancourt, de Portugal. (2) Le commendement du Duc de Schomberg.

§. IX. Abundant oleo, vino, malis aureis, citreis, ficibus, amygdalis, castaneis, armentis, sale, piscibus, marmore, serico; lana, melle & cera: at tritici, frumenti, metallorum, equorum non habet abunde.

(1) *Calmende* & *Castelmendo* à castaneis diætæ. (2) Vectigal salinum in portu *St. Ubes*. (3) Colonia *metallinensis*, Plinio lib. iv. c. 22. laudata, hodie *Medelin*, forte a Metello. (4) Quid de argentifodinis, a Pufendorffio memoratis, habendum sit? (5) *Plumbarii*, & *Cassiterides* insulæ, de quibus Diodorus Siculus lib. v. c. 38. *Supra Lusitanorum provinciam multum stannei est metalli, in insulis videlicet Oceano obiacentibus, quas idcirco Cassiterides nuncupant.* (6) Fabula, de equabus Lusitanis vento concipientibus, ex Justino lib. 44. c. 3. & Plinio lib.

IV. c. 22. cui fidem habet Damianus a Goes, in descript. Olisip.

§. XI. Clima longe salubrius est Hispanico, propter fluvios, amnes, & ventos maritimos salutare.

(1) Calor æstate nimius, unde *Siesta*. (2) Ver jucundissimum totius Europæ. (3) Unde Soufa de Macedo Lusit. lib. procem. l. §. 2. iusto largius: *Providentia Dei est, ut borealibus nivibus contenti acquiescant Patriæ, quam sunt sortiti, nec quærendo aëre meliori eam deserant, mundum turbando, ut ex hac causa fecerunt Gothi.*

§. XII. Accessio territorii multis parasangis superat principale: eoque pertinent insulæ Azores & Flandricæ septem, inter *Europam & Americam*. In *Africa* arces Mazagana, & Loando de S. Paul. Insulæ Madera, S. Thomæ, & decem de Cabo Verde: In *Asia* Goa, Diu, Daman, &c. In *America*, Brasilia, & terræ circum Caput de Nort, pace Trajectina obtentæ.

(1) Bulla Nicolai V de A. 1454. qua imperium in Guineam & barbarica Indiæ Orientalis regna Alfonso V. confert: alia Sixti IV. de insulis Canariis, soli Hispaniæ relinquendis, A. 1481. & tertia Alexandri VI. qua fines orbis, per ductum certi meridiani rexit A. 1493. apud Leibnit. Cod. dipl. n. 165. 195. & 203. examinata. (2) Insulæ S. Thomæ aer pestilentissimus, ex calore, nebulis & vaporibus: terra vero frugifera maxime. (3) Goënsis reip. constitutio,

tutio, ex Alberto a Mandello. (4) Num Br-
 filia, Africa, an India orientalis utilior sit Lufi-
 tanis. (5) An expediat Portugalliæ fines suos
 proferre, aut amissos repetere. Livius lib. 37. c.
 35. *Facilius parantur singula, quam retinentur
 universa.*

S E C T I O III.

De Civium moribus & bonis fortunæ.

§. XIII. Origo populi, lingua &
 temperamentum cum Hispanico ma-
 gnam habent affinitatem: ut tamen
 mixtura Judaici sanguinis, commercia
 cum Africanis, Indis & Gallis, cli-
 matisque disparitas nonnihil discrimi-
 nis induxerit.

(1) Lusitanos pariter ac Hispanos esse graves,
 crudeles, superstitiosos & zelotypos in uxores,
 domi clausas, aut foris velatas. (2) Magis ve-
 ro bellicosos, agiles, Venereos, sed fœnori &
 mercaturæ deditissimos. Strabo lib. III. p. 154.
*Ferunt Lusitanos esse insidiandi indagandique pe-
 ritos, celeres, leves, versatiles &c.* (3) Lingua,
 ex Latina corrupta, cultior in Entre Duro,
 quam alibi. (4) Genuinæ odii causæ inter has
 nationes, ejusque exemplum ex Mem. d'Ablan-
 court p. 32. (5) Thuanus lib. 126. *In Lusita-
 norum animis, ad insaniam usque, improbus in
 Reges suos amor.*

§. XIV. Propter cœli temperiem mu-
 lie-

lieres, præsertim in Interamnenſi provincia, ſunt foecundæ; ſed crevit incolarum numerus, receptis A. 1492. Judæis, ex Hispania pulſis; decrevit autem per colonias, navigationes, bella, inquisitionem, libidines vagas & monaſticam vitam.

(1) Judæorum fata primum proſpera, poſtea miſerrima. (2) Gravis reprehensio facinoris, ab Emmanuele ingrato in eos perpetrati, apud Oſorium lib. 1. pag. 12. ſeqq. (3) Numerus eorum, qui carnem ſuillam deteſtantur, inter ipſos Episcopos, Nobiles, Monachos, ipſosque Inquiſitores, quorum agnati Amſtelodami. (4) De Orobio, Limborch collatio cum Judæo, & Clericus bibl. univ. tom. VII. A. 1687. (5) Differentia inter *Chriſtam velbo*, *Chriſtam novo*, & *temparte de Chriſtam novo*. (6) Obſervatio politica, quomodo Judæi palam tolerari poſſent. Baſnagii *Histoire des Juifs* liv. IX. c. 25. commendetur.

§. XV. Studia litterarum in duabus Academiis Conimbriceniſi & Eboreniſi frigent, pariter ac in aliis regnis, in quibus ſuperſtitio & inquiſitio dominantur.

(1) Plutarchi locus memorabilis in Sertorio c. 22. qui litteris Græcis & Latinis curavit imbui juventutem. (2) De Academia Oliſiponenſi, bis Conimbriam translata A. 1308. & 1548. (3) Collegium Conimbriceniſe Philoſophicum. (4) Aſtutia Philipp II. ornantis Conimbriceniſem, antea ſibi adverſam, ex Thuano lib. 73. (5) Profeſſorum in ea ampla ſtipendia, & numerus.

(6) Geographiæ incititia duobus exemplis recentibus declarata. (7) Academia artium navalium in Port a Port.

§. XVI. Agricultura & artes fellulariæ sordent Lusitanis, præ cura salis, vini, olei, & ceterorum fructuum, sponte sua provenientium, eorumque permutatione cum manufactis aliorum: Plerique animum mallent, quam corpus intendere, plurimi neutrum.

(1) Unde triticum & manufacta huc adferantur. (2) Privilegia Anglis & Germanis mercatoribus concessa. (3) Nobilitas agricolis frustra promissa. (4) Ablancourt in mem. pag. 27. & 28. *On trouve encore aujourd'hui plus des terres en friche, que des laboureurs.* (5) Iustinus de antiquis Lusitanis lib. 44. c. 3. *Feminae res domesticas agrorumque culturas administrant; ipsi armis & rapinis serviunt.* (6) Strabo lib. III. pag. 154. *Pro agricultura militiam tractavere: quo factum est, ut terra neglecta bonorum suorum ferax esse desineret.*

§. XVII. Commerciis maxime opportunus est situs regni, iisque Brasilia, Goa, Macao, Mosambica & Angola benignam materiam præbent.

(1) Mercium, ex terris his accessoriis delatarum; catalogus apud Damianum à Goes t. 2. Hisp. ill. pag. 1072. (2) Earum præcipuæ sunt: uniones, gemmæ. aromata, colores, saccharum, tabacum, lignum Brasiliæ, (vulgo campeche) & mancipia nigra, de quorum emtione, pecudum more, plura. (3) Qui differat saccharum

rum à *Tabaxir* Arabum, docet Salmasius in disert. de Saccharo: quomodo præparetur; optimum ejus & pessimum genus. (4) De disciplina & venditione elephantorū ad palmos, Lips. c. 1. misc. ep. 50. (5) Vestigal grave, pro mercibus importandis. Vid. Relation de la cour p. 18. Savary Parfait negotiant p. 11. c. 5. & Marperger p. 990.

§. XVIII. Nobilium alii sunt majores, *Dons*, a liberis Regum naturalibus oriundi, alii minores, *Cavalleros Fidalgos*, quasi fideles.

(1) Duci Bragantino olim tertia pars regni paruit. (2) Cur unica familia ducalis de *Cadavale* e quinque tantum superstes. (3) Inter ceteras eminent *de Sousa, Silva, Meneses, Acunha, Castro, Melo* &c. Marchionum, vel Comitum titulis. (4) Nobilitatis incrementa ex Codice Emmanuelis Heraldico, & Moradiis, id est stipendiis aulae annuis, de quibus Osorius lib. xi. & Faria Epit. p. 4. c. 10. ex qua Imhofii stemma Lusit. peti-
tum.

SECTIO IV.

De Statu Ecclesiastico.

§. XIX. Unica religio Pontificia toleratur: in reliquis sæviunt tria Inquisitionis tribunalia, Olisiponense, Conimbricense & Eborense: quibus in India Goënsē addi potest.

(1) An

(1) An Jacobus Apostolus Lusitanis prædicaverit Evangelium, vide Augustinum Barbofam libro sing. & Petrum de Marca, in epistola ad Valesium, *de tempore, quo primum in Galliis suscepta est Christi fides.* (2) Quo prætextu tribunalia illa inquisitionis, a Joh. III. sint constituta, & quam prudenter fuerit Brasilia excepta. (3) Vide Histoire de l'inquisition de Goa, & Limborch Hist. Inq.

§. XX. Tres habet Archiepiscopos: Bracarensem, Lisbonensem & Eboresensem: quibus Patriarcha Goënsis in India, & Brasiliensis in Bahia de Todos os Santos accedunt. Illi Episcopos numerant undecim suffraganeos.

(1) Lis de primatu Hispaniæ, inter Bracarensem & Toletanum, ex Honorii *cap. coram. 7. X. de In int. rest.* Petro de Marca de primat. §. 127. & Baluzio t. III. Miscell. pag. 181 & 471. illustretur. (2) De Cœnobiis & Abbatibus plus quam octingentis. (3) Reditus cleri triplo majores regiis, si onera deducantur. (4) Auctoritas Jesuitarum inde a Joh. III. tempore. Xaverii merita in Indiam. (5) Ejus mitram, imposuit Petri II. conjux, ad prolem suscipiendam; vid. Relation de la Cour p. 1. c. 3. & Staat von Portug. p. 2. p. 304.

§. XXI. Pontificis Romani maxima circa sacra est potestas, Regis minima: qui tamen nominat Episcopos, a Pontifice confirmandos.

(1) Origo auctoritatis Papalis a primis regibus repetenda, qui regnum in feudum obtulisse feruntur:

runtur: certe censum quatuor marcarum auri promiserunt. Vide Baluz. t. II. Miscell. p. 220. (2) Innocentii IV. c. 2. de Suppl. neglig. Præf. in VI. de curatore & Regente Sanctio II. negligenti dato, est pars bullæ, quam integram habet Raynaldus continuat. Baron. A. 1245. n. 68. & Lobkow. Philippo prud. l. v. disp. 1 qu. 2. a. 6. (3) Nuncii Papalis jurisdictionio in Clerum absoluta. (4) Bullæ papales valent sine approbatione Regis, secus quam in Hispania. (5) Collectores Apostolici quantos redditus quotannis Romam mittant. (6) De abusu asylorum Ecclesiasticorum lites. (7) Lex Lamecensis art. 22. *Et dixit Procurator regis, Laurentius Venegas: Vultis, quod Dominus Rex vadat ad Cortes regis de Leone, vel det tributum illi, aut alicui personæ, for (id est præter) domini Papæ, qui illum Regem creavit. Et omnes surrexerunt, & spatibus nudis in altum dixerunt: nos liberi sumus.* (8) Adde Grot. Append. epist. 480.

§. XXII. Equitum sacrorum, occasione Maurorum, tres ordines sunt enati: *Avisus*, antiquissimus, & *Jesu Christi*, ditissimus: quibus accedit ordo *S. Jacobi*, vel *de la Spatha*, cum Hispanis communis. Maltesium divites sunt commendæ.

(1) Cur Ordo Christi in locum & bona Templariorum successerit. (2) Quare S. Michaelis ordo, cum auctore suo Alfonso, sit extinctus. (3) Ordinum dignitas & lauti redditus ex Gonfalso d'Avila & Mendone de ordin. mil. (4) Inter alia eorum singularia est, quod a voto castitatis liberati, Bulla Alexandri VI. precibus
Ema-

Emanuelis obtenta, apud Leibnit. Cod. diplom. p. 475. (5) Osonii ea de re iudicium lib. 1. de Reb. Em. *Hæc Regis providentia, qua, ut videbatur, sceleribus occurrebat, & suos magno incontinentiæ periculo liberabat, a multis laudari solet. Ego vero statuere non possum, utrum sic multo majorem peccandi materiam suis attulerit illa ipsa, quam subtrahere summo studio concupivit, Primum enim &c.* (6) Passarellus lib. 1. pag. 3. causam adfert, ne regiæ profapiæ Equites liberis carerent.

SECTIO V.

De Administratione summi imperii.

§. XXIII. Procerum regni tres sunt classes: (1) *Ecclesiasticorum*, qui ex Archi-Episcopis & Episcopis (2) *Nobilitium*, qui ex Ducibus, Marchionibus, Comitibus & Baronibus (3) *Civium*, qui ex Procuratoribus civitatum componuntur.

(1) Catalogum eorum tempore Joh. IV. vide in manifesto apud Victorium Siri Mercure t. 1. pag. 105. & Recueil des traitez tom. III. p. 845. (2) Proreges Indiæ non ultra triennium, more Hispanorum prudentissimo, ob distantiam locorum, & metum federis cum barbaris.

§. XXIV. In Comitibus, a Rege indictis (*Cortes* vulgo) de novis tributis, etiam de Regis successore, herede defi-

deficiente, deliberatur, quia hæc duo Proceres sibi expresse reservarunt.

(1) Relation de la cour de Port. p. 26. Il appartient aux Etats d'imposer des taxes sur le peuple. (2) Soufa lib. II. c. I. si regnum non sit vacans, poterit Rex in judicando de successore concurrere cum comitiis. (3) Grot. epist. 1494. Portugalli ab antiquo sunt ventosi; parum solidi in consiliis ipsorum.

§. XXV. Legibus utuntur, partim non scriptis Gothorum, partim Edictis regis; partim jure Romano, partim jure Canonico.

(1) Collectio Ordinamentorum Emmanuelis & Philippi II. (2) Versio Codicis Justiniani in linguam Portugalicam, per Joh. de Regras. (3) Abusus juris Rom. in controversia juris publici, de successione A/ 1578. notatus a Thuano lib. 70. & Duckio de auct. jur. civ. lib. II. c. 7. §. 13. (4) Soufa lib. I. c. 9. Amice, scias, quod agimus de regno Lusitaniae, ubi est lex expressa, quod jus commune Imperatorum servatur, nisi fuerit revocatum per legem Regni peculiarem. Qui habet in Lusitania legem Justiniani, vincit causam, & contrario incumbit probatio, eam esse revocatum.

§. XXVI. Judicia in singulis provinciis, earumque comarcis, diversa sunt: majus appellationis tribunal, *Caza de civil*, in Portu Cale: superius seu *Caza de supplicação* Lisbonæ exercetur. Supremum vero *Desembargo do Paço*

Paço, seu Concilium Palatinum, aulam comitatur.

(1) In hoc supremo petitur revisio, conduntur leges, iudices majores examinantur & accusantur, ex instituto Johannis III. (2) Leges de examinibus Assessorum, Judicum & Advocatorum laudatissimæ, si mores consentiunt, apud Neufville t. 1. pag. 60.

§. XXVII. Fœdera, legationes, belli pacisque negotia ab ipso Rege, in sanctiore status concilio, & per alia collegia civilia, criminalia, militaria, cameraria curantur.

(1) Tractatus commerciorum inter Carolum VIII. Regem Angliæ, & Joannem Lusitanum, apud Leibnit. C. dipl. pag. 452, Recueil des traites t. 1. p. 731. (2) Fœdus offensivum & defensivum inter Ludov. XIV. & Alphons. VI. apud Ablancourt mem. p. 304. non adhibito Procerum consensu. (3) Secretarius, *Escriva de Puridade* diu primum regni mobile fuit, & princeps ministrorum.

§. XXVIII. Ærario ex proventibus domesticis & exteris, vectigalibus, decimis, tributis, redditibus Magisterii ordinum, monopolio regio, & bulla cruciata implendo, Collegium præest, quod *da Fazenda* vocatur.

(1) Redituum annuorum summa variavit. (2) Clerici pendunt accisam. (3) Bulla indulgentiarum, regi a Gregorio XIV. concessa, triplex: compositionis, pro vivis, pro mortuis. V. Relation de la cour pag. 34. (4) Quid sit *Junta* de

de tabaco, à D. Petro instituta, A. 1675. (5) Bodinus lib. vi. de Rep. cap. 2. *Principem mercatorem nolo: sin optio detur, mercatorem malo, quam tyrannum, & patricos viros negotiari, quam prædari. Quis est enim qui nesciat, Lusitanie reges, cum angustissimis finibus coercerentur, nec jura suæ majestatis satis commode tueri, nec subditos rodere vellent, mercaturam abundantissimam & quæstuosissimam, jam annos centum, sine contumelia & maximo reip. commodo gessisse &c.*

§. XXIX. Militaris gloria quondam maxima, sensim propter studium commerciorum, defectum Ducum, & pestem virtutis, rerum copiam, retrocessit; donec Schombergius sub Alphonso VI. Galloway & Carles sub Johanne V. eam instaurare cœperunt.

(1) Florus lib. iiii. c. 22. de bello, a Lusitanis, duce Sertorio gesto: *Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit militis vigor, quam Romano duce.* (2) Capti a Lusitanis Romani in l. 21. D. de Negot. gest. (3) De telis & missilibus eorum Val. Maximus lib. i. c. 9. n. 5. & Silius lib. V. Punic v. 340. (4) Memoires d'Ablancourt p. 30. *Quoique tous ces fantassins n'alloient que par force en campagne, ils se battent parfaitement bien.* (5) Sed Grotius epist. 1497. *Apparet Portugallis pecuniam deesse, ac proinde & externum militem, in quo solo spes esse potest, propter indigenæ militis imperitiam imbellitiamque.* (6) Post Iohannis V. emendationes rei militaris, pedites tempore pacis 12000. equites 2500. aluntur. Vid. Mercure hist. tom. 43. 44. 45.

V

§. XXX.

§. XXX. Navalis disciplinæ auctor fuit Henricus, Joh. I. filius: Emmanuel eam perduxit ad summum: Philippi Hispaniæ Reges rursus imminuere: hodie vix viginti naves militares exornari possunt.

(1) Henrici scopus propagandæ fidei, peritia matheos, secessus in oppidum Sagres, ex Oso-rio lib. 1. (2) Neufville t. 1. pag. 45. eis tribuit naves militares 60. quarum minima 50. tormenta vehat.

S E C T I O. VI.

De Forma reipublicæ.

§. XXXI. Forma reip. monarchica est, & tantum non absoluta; neque per Capitulationem, aut perpetuum Parlamentum limitatur.

(1) Vestigia capitulationum antiqua, & leges Procerum consensu latæ, vel ad reip. constituendam, vel ad turbulenta tempora pertinere. Vid. supra §. 24. & 27. (2) Auctor des Staats von Portugal c. v. §. 4. Zechium notat, Europ. Herold p. 11. c. 2. pag. 158.

S E C T I O. VII.

De Fine reip. & ratione status.

§. XXXII. Finis reip. ex æquo omnium,

nium, & populi & regentium, salus est.

(1) Tempora sunt distinguenda, & aliter (2) sub bonis Regibus ad A. 1580. aliter (3) sub jugo herili Hispanico; aliter (4) nunc, pristino statu revocato.

§. XXXIII. Ratione sui ipsius Portugallia magis de incolumitate, quam de augendis finibus, aut amissis recuperandis sollicita esse debet: præsertim quia hæc neque conducunt, neque jure repeti possunt.

(1) Incolumitas conservatur, si agricultura, opificia & mercatura foveantur; navalis & militaris disciplina excolatur; Inquisitio mitigetur aut aboleatur. (2) Inter prætentiones male a quibusdam refertur India orientalis; quia pax cum Batavis inita est, & ab Hispanis damnum illud repeti debet. (3) De Papæ & Cleri redditibus minuendis, Oforius lib. IX. *Sumtus quidem sacrae pecuniae moderatos laudandos censeo: tantam largitionem ex sacris vestigalibus in luxu multorum hominum, qui nunquam gladium strinxere, fieri, minime ferendum arbitror.*

§. XXXIV. Cum exteris amicitia colenda est, propter commercia; cum Gallis, Britannis & Batavis vero etiam securitatis causa; quia multum est, quod metuant a potente vicino.

(1) Quare Gallorum & Anglorum ope, adversus Hispanos hætenus securi fuerint. (2) Britannorum commoda ex commerciis. (3) Gallorum molitiones secretæ per uxores Procerum Gallicanas (4) Cur Suecorum & Bata-

vorum interfit, Lusitanos fervari. (5) Tabulæ pacis inter Carolum II. Regem Hispaniæ & Alphonsum VI. A. 1668. apud Ablancourt p. 253. (6) Cominæus lib. VIII. c. 17. *Non est in terrarum orbe natio, quam plus Lusitanis Hispani oderint, cum perpetuis ludibriis & vituperationibus.*

§. XXXV. In Asia, Africa & America, ut acquisitæ regiones & commercia ferventur, adversus Chineses, Marochianos, Persas, Turcas aliosque vicinos, non una cautione opus est.

(1) De Turcarum molitionibus adversus Diu. (2) De Ormundo a Persis destructo, A. 1620. (3) De utilitate missionariorum apud reges in Congo, Angola, Monomotapa. (4) Pax cum Batavis inita, A. 1669. in Recueil des traités tom. IV. pag. 270.

S E C T I O. VIII.

De singularibus Regum.

§. XXXVI. Titulus Regis est: *Johannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ & Algarbiorum, citra & ultra mare in Africa; Dominus Guineæ, Conquisitionis, & Commercii Æthiopiæ, navigationis Arabiæ, Persiæ, Indiæque &c.*

(1) Res incorporales in titulo, propter fines, à Pontifice Rom. fixos. Vid. Valdes. de dign. Reg. Hisp. c. 12. & Selden. de dom. mar. l. 1. c. 17

c. 17. (2) Auctor ejus rei Emmanuel, vid. Hispan, ill. t. 11. p. 1315. Recueil de traites t. 11. p. 655. (3) Verum Alphonfus V. primus *d'aquem & d'ellem mar-em Africa*, citra & ultra mare, titulo inferuit. (4) Cl. Ludewigius opusc. orat. n. 14. Petri Port. regis litteras ad Boruffiæ Regem, cum notis edidit.

§. XXXVII. Insignium varia fuit ratio: hodie scutum argenteum quinque parmulas cœruleas repræsentat, in crucem dispositas, quarum singulæ quinis nummis argenteis, decussatim positis, ornantur. Scuto circumdatur limbus coccineus, septem castella aurea referens: supra conspicitur volans draco.

(1) Crux ab insignibus Burgundicis Henrici petita. (2) Alphonfus III. castella addidit. (3) Johannes I. draconem, Georgii symbolum. (4) Causas quinque scutorum ridiculas allegant complures. (5) Plerique ea referunt ad visionem cœlestem Alphonfi I. & totidem vulnera Christi. (6) Alii ad quinque reges Maurorum devictos. (7) Oforius lib. 8. p. m. 242. rem ita explicat: *Regum Portugalensium insignia quinque scutis in erucis formam dispositis, continentur. Iis enim quinque scutis Christi Opt. Max. vulnera designantur, quæ in cruce, pro generis humani salute, pertulit. Cum enim Alphonfus I. cum quinque regibus Saracenis, maximo exercitu constipatis, configere in Lusitania voluisset: in cœlo, unde auxilium efflagitabat, Christi speciem, iisdem quinque vulneribus illustratam, oculis atque mente conspexit, innumerabilemque hostium multitudinem, Christi numine confirmatus, occidit, & ca*

de causa illa insignia ad memoriam posteritatis assumfit. (8) Resendus lib. iv. Antiq. Lusit. addit: *In unoquoque scuto triginta nummos argenteos figuravit, quod totidem mundi Servator venditus.* (9) Sed uti visio cœlestis conficta est, ita certum, in Alphonsi insignibus novendecim scuta, & in singulis tredecim puncta fuisse. Vid. Staat von Port. t. 1. p. 267.

§. XXXVIII. De præcedentia certarunt Legati, cum Regum Poloniæ, Hungariæ, Daniæ, Sueciæ, Siciliæ, &, quod mirere, Britanniæ legatis: Germaniæ vero, Galliæ & Hispaniæ cesserunt, & nunc Britannis, nisi fallor, se minores fatentur.

(1) Inanis jactantia Lusitanorum, quod caput Europæ tenent, & late olim sunt dominati, apud Soufam app. c. 5. (2) Contra nimis abjecte de iis sentit Lobkowitzius, ne regnum quidem agnoscens. (3) De Poloniæ regis legato, superato in Aula Caroli V. & Romana; Relation de la cour pag. 436. (4) De Hungarico Wicquefort Ambass. lib. 1. Sect. 25. p. 346. Adde Zwanzigs theatrum præced. l. 1. c. 10. p. 27.

§. XXXIX. Modus sceptræ capessendi est successio, lege fundamentali Lamecensi A. 1181. ita definita, ut masculinam, primogenitus secundogenitum excludat: Filiæ, extraneo nuptæ, non succedant, nec liberi naturales, lege præteriti, admittantur.

(1) Inter-

(1) Inter capita legis, apud Brandaonem Mon-
Lusit. p. III. l. 10. c. 13. Lobkowitzium & Sou-
sam, fuerunt sequentia:

I. *Vivat Dominus Rex Alfonsus, & habeat regnum. Si habuerit filios varones (id est masculos) vivant & habeant regnum, ita ut non sit necesse, facere illos de novo reges. Ibunt de isto modo. Pater, si habuerit regnum, cum fuerit mortuus, filius habeat, postea nepos, postea filius nepotis, & postea filius filiorum, in secula seculorum per semper.*

II. *Si fuerit mortuus primus filius, vivente rege patre, secundus erit Rex; si secundus, tertius; si tertius, quartus, & deinde omnes per istum modum.*

III. *Si mortuus sit Rex sine filiis, si habeat fratrem, sit Rex in vita ejus; & cum fuerit mortuus, non erit Rex filius ejus, si non fecerint eum Episcopi & Procuratores, & Nobiles Curiae Regis; si fecerint Regem, erit Rex; si non fecerint, non erit Rex.*

IV. *Si Rex Portugalliae non habuerit masculum, & habuerit filiam, ista erit regina, postquam Rex fuerit mortuus, de isto modo. Non accipiet virum, nisi de Portugal nobilis, & talis non vocabitur Rex, nisi postquam habuerit de regina filium varonem: & quando fuerit in congregatione maritus Reginae, ibi in manu manca (id est sinistra) & maritus non ponet in capite coronam regni.*

V. *Sit ista lex in sempiternum, quod prima filia Regis accipiat maritum de Portugalle, ut non veniat regnum ad estraneos; & si casaverit cum Principe estraneo, non sit regina, quia nunquam volumus nostrum regnum ire for de Portugalesibus, qui nos sua fortitudine reges fecerunt, sine adjutorio alieno, per suam fortitudinem & cum*

sanguine suo. (2) Adversus art. v. A. 1680. in comitiis dispensatum. (3) Articulus 111. non semper observatus est, ut historia post obitum Joannis II. & Sebastiani docet. Vid. Thuan. lib. 69. Coneftagg. lib. 3. Cocceji *Justitia belli & pacis in statu regni Portug.* Sect. 2. Art. 1. (4) *Ridiculum monachi argumentum pro Catharina.* ex Joh. xiv. v. 9. *Qui me videt, videt patrem meum,* apud Grot. app. epist. 530.

§. XL. Coronatio solennis olim usurpata fuit in inauguratione Alfonsi I. & Eduardi: qui insuper obtinuit ab Eugenio IV. ut unctio accederet; sed illa raro, hæc nunquam fuit adhibita: is autem qui nunc regno præest, Joh. V. nuper coronam fieri curavit.

(1) De Alfonso I. lex Lamec. art. 2. *Et surrexit Archiepiscopus Bracarenfis, & tulit de manibus Abbatis de Laurbano coronam auream magnam, cum multis margaritis, quæ fuerat de Regibus Gottorum, & dederant monasterio & posuerunt illam Regi.* (2) De Eduardo Faria pag. 251. & Vasconcellus p. 163 n. 5. (3) Vid. etiam dissertatio VII. de Unctione Rem. c. 1. § 6. 7.

§. XLI. Characteres Regum Historia dabit. v. gr. Alfonsus I. A. 1139. primus, cum regno, cognomen *Sancti adeptus*: Sanctius I. & Dionysius *Agricole* dicti: Petrus I. *Justitarius*: Joannes I. *Rex bonæ memoriæ*: Alfonsus V. *Africanus*: sub Emmanuele Pio aurea

rea secula fuerunt: degener Sebastianus
Obedientissimi titulo gloriatus est.

(1) Sanctius I. II. Alfonso II. III. IV. cum Pontifice Rom. de libertate Ecclesiastica certarunt. (2) Sub Petro I. Justitiæ vindice, aurea tempora celebrantur; (3) Is perperam a quibusdam cum Petro *Crudele*, Castiliæ rege, confunditur. (4) Emmanuel perduxit regnum ad fastigium, classibus ad Indos missis, qua de re Ostorius in ejus vita. (5) Johannes III. receptis Jesuitis felix. (6) De origine & stirpe Regum magno cum applausu Theod. Godefroy *Discours sur l'origine des Rois de Portugal*, & de familiis, regio sanguine cretis, Imhoffii stemma Lusitan. est acceptum.

§. XLII. Johannes V. ex die 1. Jan. A. 1707. scepra gessit; natus A. 1689: conjugem duxit Mariam Annam, Leopoldi Imp. filiam, ex qua primogenitus natus est A. 1713. & aliquot Infantes.

(1) De ejus virtutibus, vitiis, consanguineis, Aula, ministris & legatis. (2) Primogenitus ex lege Joh. IV. Princeps Brasiliæ dicitur. (3) reliqui liberi Infantes appellantur. (4) De auctoritate Secretarii Status, *Escriva de Puridade*. (5) *Mor-domo-mor* supremus Aulæ magister. (6) *Camereiro-mor*, Cubicularius magnus.

S E C T I O IX.

De Viris illustribus.

§. XLIII. Inter primarios ministros, quorum consilio res militares & civiles sunt administratæ, *olim* fuerunt Vascus de Gama, & Alfonsus de Albuquerque; Petrus Alcacova, & Joh. Mascaregnas; *recentiores*, Dux de Cadaval, Marchio das Minas, d'Alegrete, d'Aronches, & Villaverde. Inter *Santos* Antonius de Padua, Xaverius, Vincentius: inter *eruditos* Oforius, Resendus, Goes, Pinus, Pinellus, Barbosa, Suarez, Lopez numerandi sunt.

(1) Vascus de Gama A. 1497. Indiam orientalem invenit. (2) Albuquerqueius, *el grand conquistador della India*, eam munivit, terror barbarorum, de quo Oforius lib. 7. 8. 9. 10. (3) Nun Alvarez, Dux de Cadaval, ministrissimus sub Petro II. (4) Minas, supremus dux militiæ, sub eodem. (5) Aronches primus post revolutionem in aula Viennensi legatus A. 1694. (6) Iohannes Comes de Silva, de Tarouca, cum A-cunha, legatus in pace Trajectina. (7) De Goveano, Lusitano, sed in Gallia edocto, Cujacius ad Ulpian tit. 6. *Antonius Goveanus, cui ex omnibus, quotquot sunt, aut suere, Justiniani*

mei juris interpretibus, si quæramus, quis unus excellat, palma deferenda est.

S E C T I O X.

De scriptoribus Lusitanis.

§. XLIV. *Antiquitates Lusitanæ*
 Andreas Resendus : *Situm & genium regionis* Antonius Vasconcellus , in *Descr. Regni Lusitanæ*, erudite illustrarunt. Linschoten & Colmenaer in *Geographia* recente excellent.

(1) Andræ Resendii , Dominicani, amor antiquitatum Rom. ex Antonii Bibliotheca Hisp. noua t. 1. pag. 65. (2) Ejus antiquitates Lusitanæ, cum scholiis Vasconcelli tom. 2. Hisp. illustr. (3) Geographiam recentiore Zeilerus & Linschotenus, optime Juan Alvarez de Colmenaer, in *delices d'Espagne & de Portugal* descripsit. (4) Idem in linguam Belgicam conversus, sub titulo : *Beschryving van Spanien en Portugal*.

§. XLV. *Historiam antiquam Hispani & Bernh. Brito : Mediam* uterque Brandaon , eorumque epitomatores , Vasconcellus & Faria de Sousa ; ac horum compiler, Lequien de Neuville, *Histoire generale de Portugal : recentiore* Cajetanus Passarellus , & Auctor Anglus, *Relationis de la Cour de Port.*

ut

ut & Ablancourt & Vertot descripserunt.

(1) Britto, monachus Cisterciensis & historiographus, ex codice, Gothicis literis, sed recentiore ævo scripto, & in cœnobio Alcobazensi reperto, multa singularia commemoravit. V. Antonii Bibl. Hisp. vet. t. 1. lib. VI. c. 4. (2) Antonii Vasconcelli, Jesuitæ, anacephaleosis bonâ, sed in chronologicis non accurata. (3) Lobkowitz, Sousa de Macedo, Connestagius, Passarellus aliique scriptores, de jure successionis Hispanorum ex Catalogo biblioth. Thuan. pag. 335. (4) De scriptoribus Genealogicis, Ecclesiasticis, biographis &c. multa habet Auctor *des Staats von Portugal. c. 19.* is est Cl. Joh. Jacobus Schmauffens, si quis alius, de Lusitania bene meritus & commendandus.



317
CAPUT VI.

DE

BELGIO
FOEDERATO.

SECTIO I.

De Ortu & progressu civitatum.

§. I.

Belgium foederatum septem Provincias nobilissimas & potentissimas, Gelriam, Hollandiam, Zelandiam, Trajectinam, Frisiam, Transsalaniam, & Groninganam complectitur.

(1) Gelria ab urbe ejusdem nominis, hæc a rivulo *Gel* vel *Gal*. (2) Hollandia non ab Helio, Olennio, Holtlandia, aut Danorum Ollandia, ut Nannius lib. x. Miscell. c. 2. sed à solo cavo & palustri, quasi *Hol-land* dicta. Jac. Braffica de Hollandiæ etymo. (3) Zelandia a fitu, non a Zielandia Danorum. (4) Trajectum à trajectu Rheni. *Oud trecht*, vetus trajectus, inde Utregt. (5) Frisii, Fresiones, Frixi, Phreiffii,

fii, à *frisch*, recens, alacer, animosus; vel potius a studio libertatis, de *freye Friesen*, dicti. *Clarum inter Germanos Frisium nomen*, ait Tacitus IV. Ann. 74. & IV. Hist. 17. uua cum Batavis, *magna per Germanias Galliasque fama, libertatis auctores celebrantur.* (6) Transfalana regio vetus Salæ alveus est, fossis Drufianis ampliatus. (7) Groninga à viridibus campis.

§. II. Florente imperio Romano, Belgium Gallix Belgicæ portio fuit, in quo Batavi, Cattorum pars, honore Societatis & Fraternitatis cum populo Romano insignes, suis legibus & magistratibus usi sunt. Caninefates tributa tolerarunt: Frisii, a Druso subacti, mox in libertatem se vindicarunt.

(1) Belgium portio Gallix Belgicæ, apud Cæsarem lib. v. de B. G. c. 24. ibique Davitius.

(2) Tacitus de M. G. c. 29. *Omniū harum gentium virtute præcipui Batavi, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet bonos & antiquæ societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus & collationibus, & tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.* (3)

Lapis vetustus, prope Catwycum, e ruinis erutus, apud Gruterum fol. 499. fin. GENS. BATAVORUM AMICI ET FRATRES ROM. IMP. (4) Batavi non a βαττος, aut Batone duce dicti: sed Hassi, Catti, Batti gens eadem; donec hi a latis arvis, *awen*, proprium Batavorum nomen tulerunt.

runt. Unde *Betaw & Battua* provincia apud Reginonem ad A. 885. (5) Insulæ longitudo a munimento Scencano ad Brehelium oppidum, vulgò *den Briel*. (6) Ubi fuerit *oppidum Batavorum*, Tacito lib. v. Hist. c. 19. memoratum, & quis SUMMUS MAGISTRATUS CIVITATIS BATAVORUM, in lapide apud Cuperum mon. ant. pag. 218. vide Joh. Smith *oppidum Batavorum, sive Noviomagum*, & meam Dissert. IX. c. 2. (7) Claudius Civilis Batavus, *regia stirpe* apud Tacitum lib. IV. Hist. c. 13. & *Batavorum reges* apud Ammianum Marcellinum lib. XVI. c. 12. sunt duces, & Optimatum primi. (8) Caninefates, oceani accolæ, origine, lingua & virtute Batavis pares, Tacit. IV. Hist. 15. Vide Reinesium cl. 8. Inscript. 10. & Menso Alting. Notitia Germ. inf. vol. 1. pag. 25.

§. III. Collapso imperio Romano, dum Saxones, Wilti, Slavi, Dani & Normanni omnia infesta habuerunt, Frisiorum nomen prævaluit, eorumque Reges vel duces, Ritzerus, Aldegillus & Radbodus quaquaversum dominati sunt.

(1) Hinc Trajectum *Frisiæ oppidum*, *Frisiæ urbs*, *Arx* & *solium regni Frisiæ* vocatur, apud Ottonem Frising. lib. VII. c. 16. Hermannum Contractum ad A. 1046. Theofridum in vita Willibrordi c. 5. (2) Nordvicum *Frisiæ pagus*, apud Abbatem Stadenf. ad A. 876. Fladirtinga & Rinesburgum *munitissimæ Frisiæ urbes*, apud Lamb. Schafnab. ad A. 1071. Annales Bertiniani ad A. 839. *ducatum Frisiæ usque Mosam*. (3) Zelandi *Frisones aquatici* apud Baldericum 3. Chron. 22. Vid. Hadrian. Vales. Not. Galliar. voc. *Fri-*

Frifa, Ubbo Emmius Comm. de Frifiorum Rep.
 intra Flevum & Lavicam.

§. IV. Pippinus Crassus, Major
 domus Francorum, Radbodo deinde
 Frisiam citeriorem, Carolus Martellus
 A. DCCXXXIII. omnem Frisiam ademit
 Popponi, eaque, in varios comitatus &
 dominia divisa, regni Lotharingici
 pars facta est.

(1) Plures Comites in eo tractu, quem
 Hollandiam & Zelandiam vocamus, jam sub
 Frifis, Kinhemi, Mosilandæ, Texelæ, Wala-
 chriæ, Teisterbantii, & Dorestadii enati. (2)
 Ipsum Hollandiæ & Zelandiæ nomen ignotum,
 ante Sec. XI. vel XII. (3) Didericus I. an fuerit
 primus Hollandiæ Comes, à Carolo Calvo,
 aut à Carolo simplice factus, an Theodoricus
 V. Vid. Matthæ. de nobilitate lib. I. c. II. 29.
 30. 31. (4) Comites Hollandiæ & Zelandiæ
 imperii vasallos unquam fuisse, aut terras illorum
 intra limites imperii positas, negat Grotius de
 Antiq. Reip. Bat. c. 5, ibique Scriverius in notis.
 (5) Affirmat Conringius de Finibus imp. c. 28.
 Schurtzfleisch disp. LI. pag. 27. seqq. & Bœ-
 clerus Excerpt. controuv. illustr. 33. tom. III.
 (6) Tempora distinguit Doufa lib. VIII. Annal.
 (7) Vasallum liberum, non ligium: neque oneri-
 bus, legibus aut judiciis imperii subjectum, nec
 investitum, ut vasallum, probat Matthæ. lib. I.
 de nobil. c. 33.

§. V. Extinctis Carolingis, quarun-
 dam gentium præfectis hereditarium
 imperium, non sine exceptionibus ta-
 men,

men obvenit : donec pleræque , per
affinitates , pactiones & victorias , inde
ab A. mccccxxvi. in Burgundionum di-
tionem concesserunt , tandemque cumu-
lus fortunæ , per nuptias Mariæ Bur-
gundicæ ; in Austriacam familiam trans-
latus est , A. mccccclxxvii.

(1) Comitum magna auctoritas , sed , Laco-
num more , penes utrumque Nobilium & civium
ordinem , simul reip. cura (2) Burgundi , do-
mo regnatrice orti , gradum latenter ad domina-
tionem fecere , manente libertate (3) Philippi
Boni & Caroli Audacis spes Regiæ dignitatis a
Friderico III. consequendæ. (4) Carolus V. A.
1528. omnem temporalitatem & secularem juris-
dictionem Trajectinam & Transfalanam ; A.
1536. Groningam & Omlandiam ; A. 1543. Gel-
riam & Zutphaniam adjecit (5) Ejus convoca-
tio omnium Belgicæ suæ populorum Bruxellas ,
ad 15. Jul. 1535. ubi in unam quasi remp. coa-
luere. (6) Consilium A. 1550 Provincias septen-
decim evehendi in regnum. Vid. Grot. lib. I. An-
nal. (7) In illis Urbes 210. municipia 150.
pagi 6300. ambitu 340. mill. Vid. Thuan. lib. 38.
pr. (8) Conventio Caroli V. & Imperii Roma-
ni Statuum A. 1548. apud Conring. de Finib.
imp. c. 28. pag. 750 & Resolut. Holl. A. 1548.
& 1546. (9) Rationes ejus arcanas habet Gro-
tius lib. xvi. Histor. ad A. 1607. & Monzamb.
c. 2. §. 4.

§. VI. Philippo II. propter tyranni-
dem sacram & profanam , violatas leges
fundamentales , contemptos Procere , a-

X

nimum-

nimumque hostilem, immani sævitia & tributis sanguinolentis satis declaratum, Ordines A. MDLXXXI. imperium abrogarunt, cum pax plus novennio, immo ab A. MDLXVI. frustra petita esset.

(1) Sallustius Orat. 1. de Rep. ord. *Cuncta imperia crudelia magis acerba esse, quam diuturna: contra, qui benignitate & clementia imperia temperavere, his læta & candida omnia visa.* (2) Errores Philippi politicos notavit Campanella de Monarchia Hisp. c. 27. & Hieron. Conestaggus de bello Belg. (3) Principes motuum scriptores Reidanus, Borre p. 1. p. 253. 398. & imprimis Auctores Epistolæ ad Philippum II. quam Schurtz-fleischius disp. 51. illustravit. (4) Tyrannidis auctor Granvellanus, executor Albanus, immitis ingenii Sylla. (5) Religio eorum instrumentum, non scopus. Inde Inquisitio, Episcopi & Concilium Tridentinum obtrusa. (6) Atrox supplicium Lamoralii, Egmondæ, & Mommorantii, Hornæ Comitit A. 1568. Grot. lib. II. Annal. pr. (7) Vicefima rerum soli & decima rerum ceterarum: de qua memorabilis Harlemeris inscriptio apud Stradam lib. 7. (8) Idem remedium ex bello Frisiis, sub Tiberio, adversus tributa, inclementius aucta, Tacit. iv. Ann. 72. (9) Justitia motuum, contra Alex. Patricii Armaniani, id est Cornelii Jansenii, Martem Gallicum, vindicata à Schoockio in disert. de Justitia belli, & Hubero de jure civ. lib. 1. sect. 10. c. 6. n. 31.

§. VII. Sic ergo nobilissimi Belgarum A. MDLXXVI. primum federe temporario Gandavensi, deinde A. MDLXXIX.

d. 23. Jan. perpetua unione Trajectina conjuncti, pactis cum Hispano A. MDCIX. induciis, *tanquam liberi*, sed A. MDCXLVIII. d. 30. Jan. *vere liberi*, sui-que juris facti sunt, fortique animo ad tantam majestatem Rempublicam pro-
vexerunt.

(1) Summa Federis Trajectini, ut, quæ ad communem defensionem pertinent, communi-
bus viribus & consiliis agantur: *sine fraude legum, libertatis, juris & morum cujusque nationis, oppidi, partium singularum ac civium: quæ Federati sanguine, facultatibus, opeque omni defendent ac propugnabunt, adversus vim à quocunque illatam.* (2) De induciis Belgicis Offati judicium epist. 336. ibique Amelot in notis. (3) Lipsii callida earum suasio, in epistola, malignitatis plena, A. 1595. scripta & A. 1638. edita; de qua Grot. lib. xvii. Histor. pag. 545. & Bayle in *Puteanus* lit. E. (4) Historiam Induciarum, præter Baudium, illustrat Jeannin, in *Negotiations*. (5) De libertate Geldriæ, Trajectinæ & Transisalanæ, ante Pacem Monasteriensem, sententia Grotii lib. xvi. Hist. pag. 526. & App. epist. 59. (6) Alia ejus epistola, inter opuscula, à Grutero Amstelodami publicata. (7) Literæ, ad omnem posteritatem memorabiles, Ferdinandi III. quibus pacem Monasteriensem ratam habuit, apud Conring. de Fin. Imp. c. 28. quæque anno 1649. d. 22. Oct. Concilio Ordinum Generalium oblatae sunt. (8) Adde Leonis ab Aitzema Historiam pacis, & collectionem diplomatum multorum, post Wicquefortii *Histoire des Provinces unies*; ubi Unionis Trajectinæ & Pacis Monasteriensis tabulæ pag. 4. & 168.

S E C T I O II.

De Finibus & natura regionis.

§. VIII. Territorium principale septem Provinciarum, ab ortu Cliviensem & Monasteriensem agrum, a meridie Brabantiam & Flandriam, ab occasu & septentrione Oceanum Germanicum respicit.

(1) Pars inferior Ducatus Gelriæ, cum comitatu Zutphanæ, dividitur: in Neomagensem, Zutphanensem & Arnhemensem tractum, vulgo *Quartieren*. (2) Hollandia in Australem & Septentrionalem, vulgo *West friesland*. (3) Zelandiæ comitatus in octo insulas, quarum quatuor orientem versus, *Bevoester Schelde*, reliquæ *Bewester Schelde* vocantur. (4) Ditis Trajectina in dicecesin superiorem & inferiorem, Eemlandiam & Montfortiam. (5) Frisia in Ostergoam, Westergoam & Silvestres, *Sevenwolden*. (6) Transisalania in Zallandiam, Twentiam & Vollenhoven. (7) Groninga duo habet membra, urbem Groningam & Ommelandiam.

§. IX. Aëris temperies sicut non omnibus una est; ita solum alibi editum magis, alibi depressum; hic legete, ibi pascuis felicius: pars etiam lacubus; sabuletis, collibus & sylvis infœcunda.

(1) Gelriæ pariter ac Trajectinæ aër purus & tenuis: alibi crassior & humidior, salubris tamen

tamen & digestionem aptus, ob maris falsedinem & ventos. (2) NordHollandiæ uberrima pecori pascendo prata. (3) Zelandiæ solum pingue & tritici melioris feracissimum. (4) Solum Trajectinum planum & omni sementi aptum. (5) Frisiæ armentorum & equorum inprimis proventus. (6) Drentiæ ager horreum vicinorum. (7) Ager Groninganus argillofus & ad pascua pariter ac frumenta felix. (8) Focis parandis ubivis cespites bituminosi, *turfas* vocant, inserviunt, de quibus Scoockii diatriba (9) Eumenius in Panegyri Constantii c. 8. *Illam regionem, quam obliquis meatibus Vahalis interfuit, quamque divorzio suo Rhenus amplectitur, pene (ut cum verbi periculo loquar) terra non est. Ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum, qua manifeste palustris est, cedat ad nixum, & hauriat pressa vestigium: sed etiam, ubi paullo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatitur, & sentire se procul mota pondus testetur.*

§. X. Nullus orbis terrarum tractus urbibus tam populosis, splendidis, & opulentis habitatur, quarum aliæ mercatu, aliæ portu, aliæ munimentis, vel Academiis celebrantur.

(1) Oppidum Batavorum, Lugdunum, Batavodurum, Arenacum, Vadam, Grinnes &c. apud Tacitum v. Hist. 19. 20. illustrat Menso Alting. in Notit. Germ. inf. tom. 1. (2) De insula Brittia, regno pari, soli Procopio celebrata l. iv. Goth. & de arce Brittia, *Brittenburg, 't huys te Britten*, cujus dejectæ vestigia refugus interdum aperit Oceanus, Junius in Batavia cap. 10. Grot. de Ant. Reip. Bat. c. 4. & Camdenus in Britannia. (3) Non fuit ARMAMEN-

TARIUM COH. XV. VOL. quod laudatur in lapide apud Scriverium ant. Bat. tab. (4) De inscriptione portæ Neomagensis: HUCUSQUE REGNUM STAVERORUM. (5) Dorestadum *Wyck te Duerstede*, illustre olim emporium, in quo 55. parochialia templa, si Bekæ fides, in Hungero Episc. (6) Dordrechtum, Hollandiæ metropolis, à Dortæ trajectu. Rutgers lib. 3. Var. lect. c. 13. (7) Amstelodamum, (vel *Amstelredamum*, ut in priscis Comitum diplomatibus legitur) reginam emporiorum & urbium ocellum, Pontanus, Zæsius, Dapperus, Domsellarius, sed præcipue Caspar Commelinus descripserunt. (8) Lugdunum Meursius & Orlerus; Harlemum Schrevelius, Delftum Leufwidus, Groningam Emmius, Amisfurtum Matthæus, Daventriam Revius. (9) Ceterarum quoque præcones Ludov. Guicciardinus in descript. Holl. & Zel. Simon van Leeuwen Batav. illustr. c. 5. & 6. Boxhornius in theatro Hollandiæ & Blavius in delineat. urbium.

§. XI. Irrigatur pulcherrimis simul & amplissimis fluminibus, Rheno, Mosâ, Isala, Amaso & Vidro, hodie Vechta: tum infinitis annium brachiis & fossis, quibus ager omnis scissus est. Sed ab Oceano patre præcipua gloria, cibus, opes & aduersus hostes potentiores æternum munimentum.

(1) Hollandia & Zelandia in aquis natæ, in aquis subsistunt: quamvis vix alibi tantæ aquarum & terræ vices. (2) Rheni hodie quatuor, olim duo alvei naturales, Vahalis & Rhenus; unde *bicornis* Virgilio, *bifidus* Claudiano dictus. Acces-

Accessit Lecca, quæ creditur fossa Corbulonis, de qua Tacit. 2. Ann. 8. ibique Ryckius in notis. Isala vero fluvius, è Westfaliæ fontibus, per fossam Drusianam, ut creditur, pars Rheni factus est. Vid. Cellar. lib. 2. Geogr. c. 3. (3) Afinius Pollio apud Strabonem lib. iv. Geogr. pag. 193. *duo Rheno tribuit ostia, reprehendens eos, qui plura.* Hos inter forsân Cæsar lib. iv. de B. G. c. 10. *Rhenus, ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur, ex quibus sunt, qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur: multisque capribus in Oceanum effluit.* (4) Unum vero ostiorum fuit Egmondæ, non ab *emundata*, vel *hæc munda*, ut annales Egmond. perhibent, sed quasi *eng-mond*, ab angusto ostio, ut monuit Petrus Nannius, Symmict. lib. 10. c. 2. (5) Camporum diluvium, aliquando prosperum, hostibus submersis, A. 1575. & 1672. sæpius luctuosum Oceano exundante. (6) Horrenda inundatæ Hollandiæ exempla A. 1422. 1570. 1682. & Frieslandæ A. 1163. 1216. 1262. (7) Malo huic jam diu objecti sunt aggeres, gigantes mœles; ut incerta Oceani & Rheni vitarentur. vid. Tacit. xiiii. Annal. 53. v. Hist. 19. Doufa lib. vi. p. 262 & Altingias in Caninesates. (8) Ut illi facti tecti sunt summa præfectura est apud *Heemraden*, non ab *heim* domus, sed a septo & circulo, quo pagi includuntur, dictos. Quinam *Dykgravii, Syll-en Dyk-Rigter.*

§. XII. Territorio principali quædam appendices in Europa, Africa & America accedunt, non pœnitendæ; præcipuæ autem sunt Asiaticæ, colo-

niis, commerciis & potentia celebratæ.

(1) De urbibus in Brabantia & Flandria acquisitis: Sylvaducis, Breda, Mosæ-Trajecto-Gravia, Stenaberga, Eindovia, Helmontio &c. (2) Urbes Flandricæ, vice propugnaculi, in pace Trajectina, obtentæ, Tornacum, Ipra &c. an. conducant? (3) In Africa Guineæ pars & Caput bonæ spei, janua in Indiam orientalem. (4) In America cur, præter Surinamum, insulam S. Eustachii & Curassao, tam exigui progressus. (5) In Asia tractus litorales vasti, in Cuncan, Malabar, Coromandel, Malacca; item Insulis Ceylon, Java & Moluccis. (6) An India Orientalis, intra & extra Gangem, priscis fuerit cognita, Vid. Casaubon. ad illa Vopisci in Firmo c. 3. *naves ad Indos negotiatorias sæpe misit.* (7) Ophir Salomonis I. Reg. x. vl. II. an fuerit Ceylon, an Africæ ora, an Goa? quæ Bocharti, Huetii & Relandi sententiæ: an finis Arabici insula, Sapphirina? quia LXX. & Josephus *σοφίρ* vocant, v. Grot ad I. Reg. ix. 28. (8) Veritas per notas indaganda, ubi lapides illi pretiosi, ebur, algumim, pavi, sinia & elephantii.

S E C T I O III.

De civium moribus & bonis fortunæ.

§. XIII. Batavi olim Trans-Rhenanus populus, & pars Cattorum, ante Cæsaris adventum, in sedes insulæ vacuas migrarunt: quibus Salii deinde & Quadi; Dani & Normanni; Flandri, Bra-

Brabanti, & Galli immixti, civium numerum ad tantam amplitudinem multiplicarunt.

(1) Cæsar lib. II. de Bello Gall. 4. *Plerosque Belgas esse ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse; Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse.* (2) Tacitus lib. IV. Histor. 12. *Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.* (3) Batavorum vestigia in Hassiæ arce Battenburgo, Battenhausen & Badenfeldo. Cattorum, in Batavia, Catvici ad Rhenum & ad mare; in Zelandia, Cattendyk & Catzium oppidum, aquis obrutum: vix autem tam antiqua, ut visum Doufæ in Bataviæ pr. (4) De tempore immigrationis Batavorum, varix sententiæ, Cluverii lib. 2. Germ. ant. c. 30. Petri Scriverii, van der Houven &c. at Vir Cl. Jacobus Gronovius orat. fing. ad Neronis Claudii Drusi ætatem retulit. (5) Batavi positu & locis, *exigua Galliarum portio*, Tacitus IV. Hist. 32. *origine & sanguine Germani*, idem de M. G. c. 29. & Plutarchus in Othone: inde Germani inferiores dicti. (6) Plinius lib. IV. c. 15. *In Rheno ipso, inquit, prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima Batavorum insula & Cannenusarum, & aliæ Frisiorum Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatorum quæ sternuntur inter Helium & Flevum.* Vide de septem his nationibus Pontani descript. Chorograph. (7) De immani multitudine Germanorum, quam duratus gelu Rhenus in insulam allegerat, Eumenius in Paneg. Constantini c. 6.

§. XIV. Indigenæ corpore ut plurimum sunt vegeto, candido colore, proceri, fœcundi, mundi, robusti, aptaque membrorum proportione, tam viri, quam feminæ venusti.

(1) Quid sit apud Martialem lib. XIV. 176. *Rusi persona Batavi.* (2) *Auris Batava* apud eundem VI. epigr. 82. an rustica & barbara, ut Vincentius Collesius, in notis ad usum Delphini; an auris dea, ut Boxhornius; an vero casta, ut Scriverius; an metri causa posita; an legendum: *Aurem qui modo non habet severam?* (3) Bene Erasmus ad hoc adagium: *Quod Martialis gentem rusticitatis insimulat, quodque eandem Lucanus truce[m] vocat* (lib. I. VI. 431. *Vangiones Batavique truces*) *aut nihil ad nos pertinet, aut etiam laudi vertendum arbitror utrumque. Siquidem quæ gens non aliquando fuit rudior? aut quando Romana gens laudatior, quam quum præter agriculturam & militiam nihil artium nosset? Quod si quæ quondam in Batavos dicta sunt, contendet aliquis ad hujus temporis rationem pertinere, quæ maior laus Hollandiæ meæ poterit tribui, quam si dicatur a Martialis joci abhorrere, quos etiam ipse nequitias appellat?* (3) *Ædium & domesticæ supellectilis nitor, an placere possit Horatio lib. II. sat. 2. Mundus erit, qui nos offendet sordidus, atque in neutram partem cultus miser.* Vid. Bayle in Albutius G. & H. (4) *Prodigiosus partus Laufdunensis, Margarethæ Comitissæ, ad fabulas pertinet aniles.* Vid. Alting. notit. Germ. 2. pag. 118. saltem placitis Physicorum repugnat, & Juliani, in l. 36. *D. de Solut.* Fidem ei tamen habuere Erasmus, Ludovicus Vives & Guicciardinus in descript. Holl. ubi alterius Margarethæ exemplum.

§. XV. Gens, ut positu loci Germaniam inter & Galliam, ita moribus temperata, non extra amborum vitia, nec sine virtutibus. Ingenium simplex & a fuce alienum. Adversus labores & pericula maris invicti: nulli ad humanitatem & benignitatem propensiores.

(1) Geldrorum mores magis ad Germanos, Zelandorum ad Brabantos & Gallos accedunt.

(2) Trajectini sub Episcopis olim moveri faciles, vid. Otton. Frising. lib. 11. de Gest. Frid. c. 4. & Gunther. lib. 1. Ligurin. unde verbum de iis vetus, in Chron. Slavico ad A. 1483.

(3) Frisii Anglis similes, moribus, lingua & institutis, secundum Templii observat. de Stat. fœd. Belg. c. 2. pag. 177. seqq.

(4) Grotius lib. v. Annal. A. 1586. *Plurimum differunt harum nationum ingenia & mores: nam Angli, ut ad dicte servant, ita evecti ad dignitates priorem humilitatem insolentia rependant: Belgarum est parere & imperare cum modo, nec gens ulla fidelius amat eminentes, aut iisdem, si contentus adsit, implacabilius irascitur.*

(5) Fidei ac fortitudinis prisca præclarum testimonium, quod Cæsar Augustus custodia corporis eos admovit, ejusque exemplo alii Imp. Inscriptio gemina apud Gruter. pag. 600 n. 12. 13.

NERONIS. CORP. CUSTOS. NATIONE. FRISIUS. Duæ aliæ apud Fabretum de column. Traj. c. 7. pag. 183.

NERONIS. CLAUDI. CAESARIS. AUG. CORP. CUSTOS. NATIONE. BATAVUS

(6) Saavedra Symb. 81. *Belgæ industrii sunt, animis candidis & sinceris, idonei ad artes tam pacis, quam belli, in quibus magnos semper viros ter-*

ra illa protulit. Amant religionem & libertatem. Nec sciunt fallere, nec falli se sinunt. Naturæ eorum blandæ metalla sunt liquefacta, quæ consolidata deinde suspicionum suarum impressiones semper retinent.

§. XVI. Nullis gravioribus vitiis sunt obnoxii; sed ob nativam rerum omnium abundantiam & commoditatem importationum, luxus & voluptatis studium, non sine plebejorum commodo, irritatur: hi vero ad dicacitatem proclives, libertatem aliquando licentia, summum vitæ bonum divitiis metiri amant.

(1) Valerius Maximus lib. 9. c. 1. *Blandum malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare.* (2) Grotius lib. v. Annal. ad A. 1588. *Batavorum, inquit, prisca fortisque simplicitas & casta munditia in luxum vertebant, arario quidem vectigalem, at moribus perniciosum: quippe quo avaritia, malum vetus, in audaciam impellitur, nec finit meminisse, victas esse gentes, quæ eum vivendi morem tradidere.* (3) Graviter Huberus ad tit. D. Commodati §. 3. *Currus pensiles in sumtuosa Lutetia adeo sunt multiplicati, ut iis personet urbs, sere ut fragosis mare tempestatibus: quod in nostras quoque urbes majores, sero licet, penetravit, novissimis difficillimisque potissimum temporibus: Est enim hæc justissimo Dei iudicio, perversa rerum humanarum consuetudo, ut quanto major bellis aut vititate rerum unde pecunia rediguntur, est paupertas publica, tanto magis invalescat luxus & profusio.* (4) Nimis libere Thuanus lib. IX. ad A. 1575. *Ingenia iis populis, quanquam cælo nebuloso*

buloso & solo fere palustri, magis quam mediterraneis vicinis, sunt industria: Brabantii hilares, festivi, ridiculi, in ludicris immodici: Flandri mulierosi & intemperantes: Batavi simplices, incauti, inertes, segnes ac stolidi, vulgari dictorio appellantur: Zelandi callidi, vafri, subdoli, dicaces ac captiosi omnium consensu existimantur, quasi natura, quod illis a natali solo deest, per industriam rependente. Siquidem apud eos omnia fere incerta, nullaue regio magis rerum humanarum vices experitur, ut cujus prospera & adversa à vento maris & arena dependeant, & fluxu denique ac refluxu Lunæ incrementis ac decrementis volvantur ac regantur.

§. XVII. Lingua utuntur Germanica, Saxonix inferioris, ad humanitatem inflexa; divite profecto, ac menti exprimendæ apta: variat tamen non modo Provinciarum dialectus, sed in eadem quoque regione, propinquæ gentis commercio, idioma diversum reperias.

(1) Johannis Goropii Becani ineptæ originationes & opinio, Belgarum linguam, quam Cimbricam vocat, omnium esse primam, a Lipsio explosa, cent. 3. ad Belgas epist. 44. (2) Felicius in origines vocum Abrahamus van der Mylius & Cornelius Kilianus; in orthographiam Cornelius Giselbertus Plempius inquirere. (3) Singularia Frisiorum in diphthongis, concursu vocalium & nominibus propriis familiarum. (4) Admodum illa Anglo-Saxonice affinis est.

§. XVIII. Ingenia iis capacia, acria &

& amoena; quæ si severa lege doctrinarum studiis se dedant, ad summum facile perveniunt; & pervenerunt, in exiguo orbis angulo, plures, quam alibi, in vastis regnis.

(1) Petrus Canisius & Gerardus Noodt, Neomagenses. (2) Hollandi: Janus Doufa pater & filius, Nordovices; Erasmus Roterodamus; Hugo & Guil. Grotii Delphenses: Hadrianus Junius, Hornanus: Petrus Nannius, Alcmariensis (3) Zelandi: Hadr. Barlandus, Petrus Peckius, Lævinus Lemnius. (4) Inter Trajectinos eminent, Hadrianus VI. Guil. & Theod. Cantéri; Heurnii duo; totidem Cauchii; Borr, Radelantius, Rodenburgius, Voetii, Matthæi, Schurmannia. (5) Frisiorum decora; Nicolaus Everardus; Viglius Zuichemus; Joachimus Hopperus, Suffridus Petrus, Ubbo Emmius. (6) Albertus & Stephanus Vinandus Pighii, Campenses, Transfalani. (7) Vid. de his ac infinitis aliis Auberti Miræi Elogia Belgica; Valerii Andree Desselii Bibliotheca Belgica; Franc. Sweertii Athenæ Belgicæ; Suffridi Petri decades xvi. de Scriptoribus & illustribus viris Frisicæ & Benthemii pars 2. (8) Erasmus ad adagium, Auris Batava: *Mediocriter eruditorum nusquam gentium frequentior numerus. Ad exquisitam eruditionem, præsertim antiquam, quod non perinde multi perveniant, aut vitæ luxus in causa est, aut quod apud illos plus honoris habetur egregiæ morum integritati, quam egregiæ doctrinæ. Nam ingenium non esse negatum illis, plurimis constat argumentis; quanquam mihi sane quam mediocre contigit, ne dicam exiguum, ut cetera pleraque.* Icon Erasini in obs. Halens tom. iv. obs. ult. (9) Quæ-

(9) Quædam de Gallis, ut Scaligero, Salmasio: & Germanis ut Ger. Joh. Voffio, Joh. Fred. Gronovio, Grævio ceterisque.

§. XIX. Post jugum Hispanicum excussum, quinque Academiæ, nominis celebritate præstantissimæ, sunt erectæ: Leidensis, Franekerana, Groningana, Trajectina & Harderovicensis: quibus Gymnasia illustria, Amstelomense, Dordracenum, Medioburgense, Daven- triense, Bredanum & Sylvæ-Ducense accedunt.

(1) Leidensis erecta A. 1575. 8 Febr. Franekerana A. 1585. 29 Jul. Groningana A. 1614. 23 Aug. Trajectina A. 1636. 26 Mart. Harderovicensis A. 1648. mense Aprili. (2) Academiæ Lugduno Batavæ Janus Doufa, ob toleratum urbis obsidium, primus Curator. Ejus & Virorum in ea celebrium descriptio, apud Grotium lib. v. Hist. & Meursium in Athenis Batavis. (3) Hortus botanicus. Bibliotheca MStis Scaligeri, Bonaventuræ Vulcanii, Golii, Isaaci Vossii & Perizonii locupletata (4) Privilegium Henrici, Galliæ regis, *ut quæ Lugduni Batavorum, eductis apud se ingeniis, testimonia perhibuissent diversarum artium Professores, per Galliam valerent.* Grot. d. l. ad A. 1596. (5) Trajectinæ initia a Davide Burgundo Episcopo, qui A. 1459. scholam fratribus Hieronymianis commendavit. V. Erasmus in Ecclesiaste. (6) Bern. Scotanus primus Academiæ Rector. (7) Initia bibliothecæ ex Buchelii legato. (8) An multitudo Academiaram conducatur? v. Schoockii Belgium lib.

XVII. C. 12.

§. XX.

§. XX. Hominum industria, si bona terræ nata aut inuenta respicis, superat Belgium, non Europæ solum tractus, sed orbis universi. Adeo alii agro colendo, alii pecori pascendo, alii piscationi halecum, balænarum, salmonum & asellorum sunt intenti.

(1) Solum sterile aut paludinosum, improbo labore, & aqua machinis, quas venti versant, exhausta, felicissimum factum. (2) De Floræ cultu & Tulipomania, quæ velut morbus epidemicus A. 1635. homines invasit, Montingius de plantis & Barlæi carmen in *Barbari floris fortunam*. Vid. Busbeq. epist. Turc. 1. & Erythraei Pinacoth. 3. c. 17. (3) Halecum piscatura inter fundamenta commercii Belgici, & patriæ suæ servit Grotius, quando epist. 634. *eam minime questuosam, sed alendæ multitudini Bataworum necessariam* vocat. (4) Olim ad insulam Rugiam & Norvegiam stativa sua habuere, unde privilegium Alexandri III. c. 3. *X. de Feriis*. (5) Artem condiendi haleces & fumo durandi Boxhornius Gulielmo Bueckfeldio A. 1390. Boeclerus Gul. Buckeldio, Belgæ, A. 1416 acceptam fert. Schoockius de Belgio lib. 8. c. 2. ait: *invenit Gulielmus Buelensis, Biervlieto Flander, qui & ibi mortuus est A. 1347. eique monumentum statuit Carolus V. quum eo, cum sorore, Maria Hungariæ Regis vidua, se contulisset*. (6) At vero jam seculo XIII halecum utriusque generis copiam fuisse, probat Leibnitius, in præfat. ad tom. III. Script. Brunsvic. (7) De piscatu balænarum plura.

§. XXI. In hac velut communi orbis uni-

universi officina, artificum & opificum chiliades, ex materia rudi domestica, sed maxime ex advecta, omnis generis pannos, fila, telas & supellectilem conficiunt, aliaque, a Gallis vel Anglis inventa, feliciter exequentur.

(1) Hinc *docilis Belgæ* Lucano lib. i. de B. C. 426. Cæsar lib. vii de B. G. c. 22. *Summæ genus est sollertia, atque ad omnia imitanda atque efficienda, quæ ab quoque traduntur, aptissimum.* Idem in hodiernis Temple observat, Remarques sur l'état des Provinces unies c. iv. pag. 161.

(2) Multarum rerum inventio iis tribuitur, organorum & horologiorum musicalium, colorum vitro incoquendorum, aulæorum: item effedorum Belgicorum: *nam Belgæ civitas est Gallia, in qua hujusmodi vehiculi repertus est usus,* ait Servius ad III. Georg. 204. (3) Typographiæ rudimenta Harlemi, à Laurentio Joh. Sacristeyn, quod æditum notat, inventa. Vid. Junius in Hist. Bat. pag. 255. Schrevelius in Harlemo p. 270. Boxhornius & Mallinkrot lib. sing. (4) De Amstelodamo dici potest, quod olim Hadrianus de Alexandria, apud Vopiscum in Saturnino c. 8. *Civitas opulenta, dives, sæcunda, in qua nemo vivat otiosus. Alii vitrum constant, ab aliis charta conficitur, alii linyphiones sunt: omnes certe cujuscunque artis & videntur & habentur. Podagrosi, quod agant, habent: habent cœci, quod faciant, ne chiragrici quidem apud eos otiosi vivunt.*

§. XXII. Mercatura, sub finem seculi decimi sexti, ex Brabantia & Flan-

Y

dria,

dria, sese totam in Hollandiam ac Zelandiam effudit, crevitque ex Antverpiæ ruinis Amstelodamum, emporium celeberrimum, cui nullum par, prius aut secundum est.

(1) Olim Slusa, dein Brugæ, postea Antverpia, ad A. usque 1585. emporia Belgicæ maxima. (2) Amstelodamum cornucopiæ est rerum omnium, maxime vero mercium Indicarum, aromatum & gemmarum, quas in Hispaniam, Norwegiam, Daniam, Sueciam, fanum Archangeli & Germaniam universam mittit. (3) Dordracum stapula est vini Rhenani & Mosellani, Mediodburgum Gallici. (4) Roterodami sedes mercium Anglicanarum: Veræ, in Zelandia, Scotticarum. (5) Enchufani, Maeslandi & Vlaeringi haleces capiunt, Frisii balænas, Flissingenses ad Indos proficiscuntur. (6) Leidenses lanificia; Harlemenfes holoserica & subserica florida; Frisii & Transisalani lina tractant. (7) Hornani propolium caseorum exercent, Saerdamenses ædificant naves: Delphenfes cerevisiam coquunt, & vascula conficiunt. (8) Vide memoires sur le commerce des Hollandois c. 3. & Savary Dictionnaire universel de commerce tom. 1. pag. 964.

§. XXIII. Causæ mercaturæ florentis, præter situs opportunitatem, ad maria & flumina, sunt: libertas civilis & religiosa; hominum & navium multitudo; plebis frugalitas & industria; mercatorum & nummi bona fides; navium

vium securitas, (Convoy) commoditas Bancæ; leges duræ aduersus fraudes; & onera leuia importandorum & exportandorum.

(1) Situs opportunitas in meditullio Europæ, ut in Britanniam, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, Septentrionem, paucorum dierum itinere maritimo opus sit. (2) Versus Germaniam, propter Rhenum & Mosam: tum etiam Visurgim, Amisium & Albim, quæ haud sunt ab Oceano Germanico remota. (3) Libertas conscientiæ undiquaque artifices, maxime Brabantos, Flandros & Gallos reformatos pellexit. Vid. Aanwysing der heilsame politike gronden p. 1. c. 14. 15. (4) Caritas annonæ ingeniosam facit multitudinem & audacem. Vide Temple Remarques sur l'État des Provinces unies c. 6. (5) Numerus hominum 3400000. Eorum, qui in mari degunt, 70000. Vid. intereft van Holland c. 8. (6) Bancus A. 1609. institutus, exemplo Veneti, Banco del Giro, continet ultra 3000. tonnas auri. (7) Ejus indoles, non recte à Templo percepta. (8) Huberus ad tit. depositi §. 11. *Haud temere alibi, quam in liberis civitatibus reperiri bancas, quia in regnis publicas habere bancas, nimis periculosum est: nam regie prodigalitati & egestati obnoxia futura.* (9) Barclajus p. iv. fat. c. 5. *Ingenium populi neque capax neque patiens fraudum. Ea fide, qua sunt digni, facile alios æstimant, sed decepta simplicitas intractabili odio perfidiam lædentium fugit.*

§. XXIV. Commerciū fulcra potentissima sunt duæ societates mercato-

rum, Indiæ Orientalis & Occidentalis, quibus a summa potestate privilegium, ad certos annos, datum est, ne quis alius Belgarum mercaturam cum Indis exerceat. Summa ejus potestas est penes Ordines Fœderatos, dominium apud Participantes.

(1) Societas Indiæ Orientalis A. 1602. d. 20. Mart. ex variis mercatorum collegiis conflata.

(2) Alii Participantes, alii Capita participantium, ex quibus curatores societatis, *Bewindthebbers*.

(3) Horum conventus in sex Cameris: Amstelodami, in Zeelandia, ad Mosam, Delfis & in West-Frisia duæ. (4) Caput & regia imperii Indici est Batavia, ubi & sedes Gubernatoris *Generalis*, Senatus & Tribunalis justitiæ (5) Sex provinciarum Gubernatores minores: Coromandel, Amboina, Ternata, Banda, Ceylon & Malacca. (6)

Grotius lib. xi. Hist. in fin. *Ex A. 1602. velut novo bello per Orientem exorto, societas Indicana magna pars Reip. cœpit haberi; cum non modo pars prædarum ad ærarium perveniret, sed privato civium sumtu hostis publicus per rapinas & impendia exhauriretur.* (7) Indiæ Occidentalis societas A. 1621. stabilita, versus litora Africæ & Americam. (8) Difficultates, quæ eam premunt, vide apud Grotium lib. xvi. Hist. ad A. 1607.

§. XXV. Fons ille inexhaustus mercium varii generis, tum maxime monopolium aromatum pretiosissimorum, facit, ut quicquid in toto terrarum orbe reperitur egregium, huc velut ad centrum

trum confluat, & magno mortalium commodo, alias in regiones evehatur.

(1) Cicero lib. 1. de offic. c. 42. *Mercatura si magna & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda; atque etiam si satiata questu: vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari.* (2) Catalogus mercium, quæ ex solo Barbarico, & India præfertim, in vectæ, Romæ vectigal solvebant, in l. 16. §. 7. *D. de Publican.* à Salmasio, Voffio, Pancirolo, sed accuratius ab Amplissimo Bynkershoekio illustratus, lib. 1v. Obs. c. 5. (3) Indicem mercium, quæ hodie ex utraque India adferuntur, vid. apud Savary Diction. de commerce t. 1. pag. 986. (4) Scaligeri carmen de mirandis Bataviæ, ad J. Doufam; ob elegantiam a Grotio in Græcum, ab Opitio in Germanicum sermonem conversum:

Ignorata tuæ referam miracula terræ,

Doufa, peregrinis non habitura fidem,
Omnia lanitium lassat textrina Minerva;

Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.

Non capiunt operas fabriles oppida vestra:

Nulla fabristamen hæc ligna ministrat humus.

Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi:

Pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.

Hic numerosa meri stipantur dolia cellis;

Quæ vineta colat, nulla putator habet.

Hic nulla, aut certe seges est rarissima lini:

Linifici tamen copia major ubi?

Hic mediis habitamus aquis: quis credere possit?

Et tamen hic nullæ, Doufa, bibuntur aquæ.

§. XXVI. Nobilitatis magna semper
Y 3 fuit

fuit auctoritas; plerique generis splendore, dignitate & vicorum ditone sunt conspicui. Civium primariorum, de redditibus suis viventium, magnus numerus. Pauperum cura maximam laudem habet & benedictione divina compensatur.

(1) De Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus præcipuis, atque majorum serie in singulis provinciis maxime illustribus. (2) V. Miræi stemmata. & Jurisprudentia Heroica, sive de jure Belgarum circa Nobilitatem. (3) Apud Frisios plurima prædia tenantibus magnus honos. (4) Curam pauperum & orphanorum Amstelodamensium & Lugdunensium, vide in Delices de la Hollande t. 1. pag. 71. & 95.

S E C T I O. IV.

De Statu Ecclesiastico.

§. XXVII. Facem Evangelii, tempore Clotharii & Dagoberti, accendere tentavit Eligius, post eum Egbertus & Wigbertus, Presbyteri Britannici: sed præcipua gloria Willibrordo ac Bonifacio, eorumque sociis est tribuenda.

(1) In Belgica apud Treviros, A. 312. Constantino M. ostensum est crucis salutare signum, Euseb. lib. 1. de vita Constant. c. 22. (2) Forte

te in vico *Nivomago*, Augustam Trevirorum inter & Confluentiam, ubi castra. Aufonius in Mosella: *Nivomagum, divi castra inclyta Constantini*. (3) Tempore Orosii, qui scripsit A. 416. Burgundiones vicini omnes Christiani facti. Vid. ejus lib. 7. Hist. (4) Willebrordus & socii, *propagati in Anglia, de stirpe Saxonica, ideo convenienter predicare potuerunt Evangelium in lingua Germanica*. A. 690 scribit Johannes de Beka in Willebrordo. (5) Vita Willebrordi est apud Mabillon. seculo III. Actor. Ord. S. Benedicti part. 1.

§. XXVIII. Papæ Romani auctoritas evuluit, rejectis ejus ceremoniis; & disciplina reformata A. MDLXXII. publice recepta; quæ deinde, exortis inter Gomari & Arminii assecclas dissensionibus, in Synodo Nationali Dordracena A. MDCXVIII. plenius descripta est.

(1) Trajectini Episcopi metropolitani ingens olim diocesis & jurisdictio, per Hollandiam quoque, Gelriam & Cliviam (2) A. 1529 dominium Episcopatus temporale in Carolum V. est translatum, auspiciis Clementis VII. V. Leibnit. Cod. diplom. p. 2. n. 41. 42. (3) Philippus II. postea Trajectinum in Archiepiscopatum, invito clero, evexit A. 1559. Vid. Suffrid. Petr. suppl. ad Hedam, & Matth. de Nobil. 1. 2. c. 8. (4) Ei in vanum dati suffraganei, Harlemensis, Daventriensis, Leovardiensis, Groninganus & Middelburgensis. v. Historiam Episcopat. Belg. 2. vol. 1719. (5) Protestantium divortia super prædestinatione & divinæ gratiæ amplitudine. (6) Unde Remonstrantium nomen, & eorum fata. (7) Convocatio

ratio synodi an ad definiendas controversias fuerit legitima, & tranquillitati procurandæ idonea. (8) Vid. Acta, Scripta & Hartnacci historia synodi nationalis. Præstantium virorum Epistolæ Theologicæ; Grotii Pietas & Apologeticus. Joh. Uytenbogaert, Brand & Bentheims Status Eccles. p. 1. c. 14. (9) Grotius Apologet. c. 2. *Leicestrianis temporibus peregrini quidam præ se tulere ardentius studium religionis; quasi genuini legitimique rectores eam rem frigidius curarent: sed res docuit ambitionis & avaritiæ id fuisse obtentus. Suo contentum esse, non exigua veræ pietatis pars est.* (10) De odio recentiorum A. 1687. scribebat Schurtzfleischius t. 1. epist. 318. *Belgium, quod Foederatum dicitur, dissidia Theologorum perturbant, & nisi fallor, fatali eorum malo proludant. Coccejani & Voetiani in se declamant, & altera pars alteri odium constant, revera vulgus concitant & confundunt.*

§. XXIX. Libertatem conscientiæ, pro qua ipsi bella gesserunt, dum reliquis indulgent, Deum imitantur: Pontificiis tamen & Socinianis, propter rationem status, sacris publicis est interdictum.

(1) Federis Traject. art. 13. cautum: *De religione Zelandi & Hollandi id faciunto, quod ipsis videbitur. Ceteris nationibus liberum esto, sequi pacem religionis, uti ante hac concepta est, aut ita constituere seorsim, aut universim, ut ad quietem ac salutem nationum, oppidorum, partiumque singularum, & tutelam juris ejus, quod cuique tum sacerdotum, tum aliorum competit, pertinere arbitrabantur: neque aliis nationibus*
alia

alias impedire fas esto: hac tamen lege, ut privatis singulis maneat religionis suæ libertas: neque in quemquam eo nomine inquisitio accusatiove sit, prout pace Gandavensi est constitutum. (2) Is vero articulus A. 1583. ab Ordinibus Generalibus ita amplificatus & immutatus est: nullam religionem aut ejusdem exercitium admittere in posterum, quam quæ publice in septem Fœderatis Provinciis docetur, nempe Reformatam. (3) Crassum de Belgarum religione judicium Campanellæ de Monarch. Hisp. c. 27. & Japonensium apud Martineau t. 2. Geog. (4) Stouppæ censura tolerantiam, in epistolis, de la Religion des Hollandois, refutata a Braunio & Banagio du gouvern. c. 39. Bayle in Spinoza C.

S E C T I O V.

De Administratione summi imperii.

§. XXX. Systema hoc civitatum septem continet Respublicas, quarum singulæ omnes Majestatis partes; regalia, sacra & profana, leges, consultationes, judicia, ærarium, & curam legendorum Magistratum, intra fines suos ita exercet, ut ex alterius arbitrio irrita reddi non possint.

(1) Comparatio federis Amphictyonici, ut & Ætolicarum atque Achaicarum rerump. nec non Helvetiæ, Vallesiæ, Rhetiæ, & quomodo differant a systemate Belgarum. (2) An Traje-

Etino federe, de summo nationis cujusque imperio quicquam imminutum sit, vide Grotii Apologet. c. 1. (3) Verba federis, *velut si una natio essent*, quorsum spectent. (4) Vulgi tres errores, de majestate Belgii, refutat Boxhornius de statu foed. Belgii c. 2. (5) Non firmiores futuras Respublicas, si uni summo imperio subessent.

§. XXXI. Eorum vero, quæ pertinent ad communem defensionem, inde ab A. MDLXXXVII. moderamen est apud Ordinum Generalium, (*de Staten Generael der Vereenighde Neederlanden*) supremum Senatum, qui ex Delegatis septem Provinciarum Hagæ-Comitum ita constituitur, ut ex mandato Rerump. mittentium omnia agat.

(1) Senatus hujus auspiciis geritur bellum, pax conditur, in eo audiuntur Legati & responsa accipiunt: ad Reges, Principes & Civitates literæ & legati; ad urbes vero, in Brabantia & Flandria acquisitas, mandata & Deputati mittuntur. (2) Numerus Delegatorum arbitrarius est: Suffragia septem. (3) Valet jus majoris partis, in negotiis, quæ universitati tributa sunt, nisi si quod negotium exceptum est. (4) Præses singulis mutatur septimanis, servato ordine Provinciarum. (5) Singulis Provinciis reservatum jus eligendi supremum Governatorem; præsidium urbium & arcium; collatio munerum militarium; jurisdictio in milites, eorumque jusjurandum. (6) De Magno Concilio, quod extraordinarium esse solet, *de Grootte Ver-*

Vergaderingh. ((7) Polybius lib. vi. Hist. c. xi. cum narrasset, a Senatu Rom. mitti & audiendi legatos, addit: itaque si quis Romam veniat, quando neuter in Urbe est Consul, plane Optimarium principatus esse videtur, quæ sane multorum & Græcorum & Regum constans persuasio est, quia à Senatu confirmantur, quæcunque ipsi cum Romanis agant.

§ XXXII. Proximum huic Consilium Status (*de Raedt van Staten*) rem inprimis curat militarem, munitiones urbium, tributa Provinciarum & Drentiæ; domania, vectigalia, licentias, & tributa Brabantia; in partem vero curarum Camera rationum (*de Generaliteyts Reekenkamer*) venit.

(1) In Consilio status duodecim Consiliarii præter Thesaurarium & Quæstorem Generalem.

(2) XII Viri per vices hebdomadam præsident.

(3) Supremus militiae Imperator in eo jus suffragii habet.

(4) Camera rationum generalium membris constat, æquali numero, singularum provinciarum.

(5) Quota contribuendi, ad onera communia, A. 1612. & 1616. sequens placuit:

Geldria	5	11	2
Hollandia	57	14	8
Zelandia	9	1	10
Trajectina	5	15	5
Frisia	11	10	11
Transfalana	3	10	8
Groningana	5	15	6
Drentia	0	19	10
	100	0	0

§. XXXIII.

§. XXXIII. Consultationes, in singulis Provinciis, statis temporibus, aut quoties res poscit, Nobiles & Missi civitatum, vel penes quos alios summa reipublicæ est, incunt; quos Latine *Ordines*, vulgo *Status* appellamus.

(1) Gelriæ Nobiles & Civitates, ex tribus partibus (*Quartieren*) vocantur, *op den Landdagb*, in quo Burggravius Neomagensis præsidet. (2) Hollandiæ Nobiles & octo Civitatum Deputati, præter quatuor annuos conventus, aliquando extra ordinem, a Consiliariis deputatis, *Gecommitteerde Raeden* convocantur. Pensionarius, Grotio definiente, est *vox publicæ libertatis*; *præit suadendo, componit dissidentes*. (3) Zelandiæ sex civitates conventum Ordinum constituunt. De Primo Nobili Zelandiæ. (4) Ordinum Trajectinorum tres classes: Electorum ex quinque Capitalis, Nobilium & Civitatum. (5) De Frisiæ Governatore & Gritteniis. (6) Transfalanæ Ordinum, Præses est Drosfardus Zallandiæ. (7) Urbs Groninga priorem præ Ommelandis locum tenet. (8) Drenthia jus Provinciæ singularis quæsitum necdum obtinuit. (9) Vide prolixè singularum Provinciarum regimen apud Basnage *Description historique du Gouvernement des Provinces unies* c.16. seqq.

§. XXXIV. A Proceribus cujusque nationis conduntur Leges & Edicta; in quorum subsidium jus Romanum, jam inde a temporibus Caroli Audacis,

cer-

certe Caroli V. ut commune, receptum est, nisi vel ratio Reip. aut consuetudinis auctoritas obstet.

(1) Gelriæ senatores jus commune scriptum demum sequi tenentur, quando leges & mores patrii deficiunt, secundum Ordinat. Curia, Caroli V. quam Cancelariam vocant, Patrii autem mores Germanicis valde affines. v. Goris Advers. tr. 3. c. 12. n. 17. (2) Ante Carolum Audacem nulla juris Rom. mentio, in monumentis Hollandicis, quæ ad jus pertinent. Vid. Ampliff. Bynckershoek præfat. ad Observat. (3) Trajectini olim Frisiacis legibus, teste Heda, in vita Davidis, deinde jure Burgundico usi, usque ad Carolum V. qui legum tum politicarum tum civilium corpus A. 1550. corroboravit. Vid. Rodenburg de jure conjug. in prælim. (4) Cur Frisii ab Alberti Saxonis & Caroli V. temporibus, juris Rom. sint tenaciores, Vid. ampl. Zach. Huberi dissert. de Utilitate atque auctoritate juris Rom. in Frisia. (5) Vestigia legum XII. Tabb, male apud Groninganos quæsitæ, ab Altingio Not. vol. 1. pag. 49. (6) Grotius app. epist. 737. *Jus representationis, quod est in Zelandico & Scabinico jure, non est a Romanis, sed à Carolo M. qui Episcopis suasoribus duritiam Germanicarum legum veterum, ad quandam lenitatem inflexit: Frisiis autem reliquit jura vetera, quia federe tali, quo jura ipsorum servabantur, Francis se adjunxerant.* (7) Quod de Belgis antiquis Cæsar scribit lib. 1. de Bell. Gall. c. 1. *Omnes Belgæ lingua, institutis, legibus inter se differunt: idem de recentioribus Corfelius in epist. ad Nic. Burgundum: Belgium, ut urbium numero, ita & morum jurisque dissimilitudine, ceteras orbis partes superare videtur.*

§. XXXV. Judicia minora, majora & suprema quæque fere natio penes se habet, & si quis judicatis Curiarum læsum se putat, supplicat Ordinibus: nullus autem communis Judicium confessus apud Federatos reperitur.

(1) Machliuense Auditorium olim in suprema instantia jus dixit plerisque, rogatu Principum Burgundicorum. (2) Nunc vero curia Gelriæ suprema est Arnhemii. (3) In Hollandia & Zelandia à sententiis scabinorum Curia justitiæ, ab hac Curia suprema *den Hoogen Raad*, appellatur ab A. 1582. (4) Curiam Trajectinam A. 1529. evexit Carolus V. Matth. 1. 2. d. Nob. c. 42 (5) Confessus supremi Frisiorum Leovardiæ sedes. (6) Transalania fixum tribunal summum non habet, sed loco ejus *de Klaering*. (7) In provincia Groningana est Camera Iustitiæ; *de Hoofmans-Kamer*. (8) Brabantia urbes summum tribunal Hagæ Comitum; Flandricæ Medioburgi, in Zelandia habent. (9) Ausonius Idyllio 9 de Belgis:

*Quis mihi tum non dictus erit? Memorabo quietos
Agricolæ: legumque cætos sandique potentes,
Præsidium sublime reis. Quos curia summos
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
Quique suas rexere Urbes, purumque Tribunal
Sanguine, & innocuas illustravere secures.*

§. XXXVI. Urbium curam gerunt perpetui Senatores, quique ex iis ad certum tempus eliguntur, Civium Magistri,

gistris, alique Magistratus, qui exiguo salario, aut nullo, functiones patriæ, ut debitas præstant.

(1) Decretum Ordinum Hollandiæ A. 1587. Collegium Senatorum urbicorum (a prudentia Vroedschappen vocant) ex insignioribus civibus & Patriciis eligitur; numero alibi XL. alibi XXXVI. alibi XXXII. XXXIV. aut XX. non excedente. Atque hæc collegia antiquitate cum ipsis civitatibus certant; aut certe monumenta originem ipsorum prudentia oblitterata sunt. (2) Arbitrium, familiare malum liberis populis, apud Frisios, notat Reidanus lib. XVII. Annal. 1600. Publicas dignitates fœde emendicatis aut permutatis suffragiis distribui sepe, ubi paribus suffragiis ad novissimum aliquem, vel humilis loci, vel auctoritatis ventum, qui suo unius suffragio ingentis rem momenti huc illuc inclinare posset, mille artes excogitari occupando ejus animo: aut congeri honores, quos ob humilitatem suam ne quidem sperare ausus fuisset. (3) Aliud Grotii monitum App. epist. 202. ad fratrem: Danda est opera, ut in omnibus urbibus sint magistratus, Legum & patriæ amantes, & Ecclesiasticis non plus, quam necesse est, obnoxii, ne Conventus studiis distrahatur, eoque hebescat acies publicæ auctoritatis.

§. XXXVII. Bella, pacem, federa & legationes procurare, Ordinum est Generalium; de iisdem vero Status singularum provinciarum consulunt, nec eorum legatis, ultra mandata, statuere licet.

(1) Apud Achæos lex fuit, ne cui civitati, fo-

cie-

cietatis Achaicæ participi, fas sit, seorsim ad exteros mittere legatos, auctore Pausania in Achaicis, & Ubbone Emmio p. 2. de vet. Græc. rebusp. tit. 12. (2) Nec discrepant Federati Belgii leges; nam in Unionis Traj. art. 9. cautum est: *ut nonnisi ex communi assensu omnium & omnibus pariter probantibus, pax, bellum aut induciæ ineantur.* (3) Contrarium servant Helvetii, quorum singuli Cantones pro lubitu federa ineunt. (4) De Anglorum & Belgarum diffidiis, ex commerciorum utriusque gentis magnitudine enatis, & Pace Bredana A. 1667. vid. Diar. Europ. cont. 14. append. part. 3. (5) Adde Leonis ab Aitzema Historia Pacis ab A. 1621. ad 1654: (6) De federibus, commerciorum causa initis, cum civitatibus Hanseaticis, Anglis, Gallis, Danis, Suecis, Russis &c.

§. XXXVIII. Nullas auri vel argentifodinas habet; nullibi tamen ærarium magis impletur, tributis ordinariis vel extraordinariis, in capita, possessiones & res, quas usus consumit. Nummi cudendi jus est penes singulas nationes.

(1) Auctis oneribus, collegia Rationalium, in singulis Provinciis, res fisci, Quæstorum ministerio regunt. (2) Vestigalia certa colliguntur, incerta elocantur. (3) Rerum, quæ invehuntur, vel exportantur, onera leviora. (4) Grot. lib. v. Annal. ad A. 1588. de Hollandis: *Agri, ades annona, vestis, capita, nihil immune: quanquam mercaturæ præ ceteris parcebatur, regentium studiis, ne maximum atque instabile commercium alio pelleretur.*

§. XXXIX.

§. XXXIX. Fidem armorum olim expertus est populus Rom. & vetus gentis ab animorum robore commendatio. Nunc etiam equite, pedite, remige egregia est, & ad omne genus belli, maritimi & terrestris, idonea, ut nulla magis,

(1) Cæsar lib. I. de B. G. c. I. *Gallorum omnium fortissimi sunt Belgæ: propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt, misimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important.* (2) De Batavis Tacitus lib. IV. Hist. 13. *Diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria: transmissis illic cohortibus, quas vetere instituto, nobilissimi popularium regebant.* (3) Dio lib. 55. *Exteri Equites selecti, quibus Batavorum nomen est, iique equitandi peritissimi.* (5) In Notitia Imperii: *Batavi Equites, Seniores Junioresque.* vid. Lips. d. magnit. Rom. lib. I. c. 4. (5) Ammian. Marcell. lib. XVI. c. 12. *Celeri cursu Batavi venire, cum Regibus, formidabilis manus.* (6) *FOR- TES BATAVI* in inscript. apud Gruter. pag. 562. n. 3. (7) Hodiernæ militiæ poliorceticæ auctores Mauritius & Wilhelmus. (8) Exempla urbium fortiter obsessarum, Sylvadicis, Grolla, Breda, de quibus Barlæus, Grotius, Boxhornius aliique. (9) An hodie, cessante ratione, à Cæsare supra allata, cesset laus armorum; contra Thuanum lib. 38. ad A. 1566.

§. Portuum, classium, navigationis, omnisque rei maritimæ cura mandata
Z
est

est collegiis Admiralitatis ; qualia in Hollandia sunt Amstelodami, Roterodami, & Hornæ vel Enchusæ : in Zelandia Middelburgi : in Frisia Harlingæ.

(1) Ad primum collegium sex reliquæ Provinciæ mittunt deputatos ; ad secundum quinque, ad reliqua pauciores. (2) De Archithalasso, *Admirael Generael*, ejusque vicario, *Lieutenant Admirael*, utet *Vice & contre Admirael*. (3) Præcipui duces maritimi Jacobus Heemskerkius, Petrus Heinius, Cornelius Tromp, Michael de Ruiter, Corn. de Witt, Evertzii, Bankertus, Waffenaer, Opdam, van der Hulst &c. vid. Brands vitam Ruiteri. (4) Relatio navigationum, quibus res Batavæ maxime creverunt, apud Grot. lib. iv. Hist. ad A. 1595. cui adde Thyssii Historiam navalem & prælia victoriosa. (5) Laus Petri Plantii, Mathematici, qui multum juvit sua institutione navigaturos, apud Pontan. lib. 2. Descript. Amstel. c. 24.

S E C T I O VI.

De Forma Reipublicæ.

§. XLI. In singulis Provinciis Optimum Republica, ad communem utilitatem directa, convenit genio populi & studiis ; quemadmodum omnes septentrionales maritimi, à singulari impe-

imperio sunt alieniores; & medio inter dominatum & popularem statum itinere gubernari volunt.

(1) Sub Optimatum imperio civitates florent; regimen eodem tenore procedit; nec per ministros Resp. gubernatur. (2) Grotius de Antiq. reip. Bat. c. 7. *Sive rationem adhibemus, optime imperium optimis credi ratio persuadet: sive auctoritates respiciamus, habet Optimatum Resp. sapientissimos veterum laudatores: sive exempla, nobilissima sane suppetunt, Creca, Lacedæmon, Carthago, Rhodos, Massilia, Thessalia, Achaja, Samos, Cnidos, Chios, Corcyra, & ut multi crediderunt, ipsa cum floruit, Roma.* (3) In morbis Aristocratiarum, v. c. concordia factionibus debilitata, paucorum dominatu, tarditate consultationum, quæque iis curandis conducunt, diligentissimus est Aristoteles lib. v. c. 6. 7. 8.

(4) Adde Politike Weeg-schaal p. 2. (5) In urbibus quibusdam municipalibus sunt vestigia democratiæ; quam Status etiam admixtam habet, quatenus quilibet honesti cives maximorum munerum sunt capaces. vide Grot. App. epist. 209.

§. XLII. Federatarum Rerum publicarum corpus magnam velut Rempubli-
cam constituit, quæ, petito a Græcis vocabulo, Systema Civitatum vocari potest.

(1) Ubi federum vulgarium termini exceduntur, rectius *συσήματα* vocamus, cum Strabone lib. 9. (2) An Achaicum corpus, cui Belgicum simile, unam remp. constituerit, vid. Ludov. Praschium in assertione Reip. Achaicæ, & Puffendorf. diff. de System. civit. (3) Polybius lib.

II. c. 38. illud, ut optimum exemplar bene constitutæ Reip. proponit. (4) Justinus lib. XXXIV. c. I. *Achæi potentes tunc temporis videbantur, non propter singularum civitatum nimias opes, sed propter conspirationem universarum: namque Achæi, licet per civitates, veluti per membra divisi sint, unum tamen corpus, & unum imperium habent, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsant.*

§. XLIII Quemadmodum quædam Systemata prisca Principem sibi præposuerunt, ita Belgarum Respublicæ sibi, maxime ex familia Auriaca, meritis, opibus & ditionibus illustri, Præfectos (*Stadhouders*) constituerunt, cum signis eminentissimæ auctoritatis.

(1) De Amphictyonum Principe Isocrates in Panatheniaco: de Achæorum Prætoribus Polyb. I. 2. c. 43. (2) Jura & auctoritas summi militiæ, maritimæ & terrestri, Imperatoris. (3) An Resp. absque illustri capite, præsertim si hostis ingruat, subsistere possit? Pufendorf Rer. Brandenb. I. 11. ad A. 1672. §. 57.

S E C T I O. VII.

De Ratione Status.

§. XLIV. Potentia, ad stuporem usque generis humani, opibus & fama bellorum aucta, valida regna & imperia,

ria, retinuit, & ad perennitatem formata videtur.

(1) Argumenta Bentivoglii contraria, ab inæqualitate, licentia, auctoritate unius, sumptibus bellorum &c. petita refellantur. (2) Ipsa inæqualitas nationum causa est durationis. (3) Innatus amor libertatis & metus vicinorum necessitatem infert, quæ federa firmat. (4) Vere Sallustius de Romanis, in Catilin. c. 7. *Exactis regibus, homines magis ingenium in promptu habuisse, & se suaque extollere cepisse.* (5) Grotius epist. 1076. *Semper casuris similes, nunquam cadentes.* (6) Lipsius ad German. epist. II: *Omnes magnam rem, nec falso, Belgicam putant, & ut Isthmus ille inter Ægæum & Ionium mare, etsi brevis, vetat undas concurrere & misceri: sic mihi ista videtur, etsi haud maxima provincia, magna imperia retinere & sistere, ne omnia pervadant & inundent.*

§. XLV. Domi curat, ut Unio sancta & salva sit; quæ stabit, quamdiu religio, justitia & concordia, certissima publicæ salutis pignora, manebunt.

(1) Tacitus lib. II. Annal. 17. *Libertatis vocabulum falso ab iis ostendi, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil habent spei, nisi per discordias.* (2) Apud Grot. lib. IV. Hist. dicebatur: *Res Batavorum stare concordia, concordiam metu. His simul amotis sabitura æqualitatis vitia & æmulationes civitatum, quæ vix, inter armorum pericula, conticescerent.* (3) Media, ad conservandam benedictionem divinam necessaria, vid. Interest van Holland. c. 13. seqq.

§. XLVI. Adversus externos numerosum

rosam terra marive exercitum alere, neque libertati, neque mercaturæ expedit, ut pecunia super sit; potius cum Britannis, Germanis, Gallis, ceterisque omnibus, pax optima rerum est; ut tamen pace infida bellum sit potius.

(1) Ab imperio maris & commerciorum, a Britannis diu quæsitum, nil periculi, durante federe, & amicitia. (2) Inscriptio numismatis: SI COLLIDIMUR. FRANGIMUR. (3) Adversus Germanos munimenta sufficiunt, & militia terrestris propria, conducta, aut federata. vid. Interest van Holland c. 35. seqq. (4) Ab Hispanis & Lusitanis, viribus exhaustis, nil est, quod metuat. (5) neque a Suecis, Danis aut Russis. Vide Pufendorf. introd. in Hist. c. VI. §. 22. & Monzamb. c. 7. §. 5. (6) Quantum Hollandiæ intersit propter Trajectinam provinciam. vid. Interest van Holland c. 42.

S E C T I O. VIII.

De Insignibus & Titulo.

§. XLVII. Ad Federis insignia pertinet Leo, tenens septem sagittas, uno vinculo arctissime colligatas, qui etiam sigillo Celsissimorum & Potentissimorum Ordinum Generalium (*Hoogmogende Heeren Staten Generael*) inservit.

(1) Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, *Illustissimi*

Striffimi & Potentes, Edele Groot-Mogende Heeren Staten. (2) *Ceteri Edele Mogende, vel Mogende.* (3) *Fabula de ruffati leonis, in deaurato scuto, insignibus, Diderico Comiti, à Carolo Simplice datis, recte explosa a Jano Doufa lib. viii. Annal. pr. Hac, inquit, ex Jo. Bekæ relatione dicta junto: quæ quam ex fide tradita, nescio: hoc scio, nihil quidquam tale in vetustissimis Egmundanae Ecclesie archivis, publica fide consignatis, scriptum uspiam extare. Ita ut existimem morem illum insignium figendorum, in usu id temporis necdum etiam fuisse.* (4) *Ad Symbolum: Concordia res parvæ crescunt, pertinet Hugonis Grotii votum, append. epist. 653. Hollandis & Zelandis concordiam opto, ad bonum publicum, rem in tanto hominum numero difficilem obtentu, difficiliorem servatu, in multum tempus, quod sepe occasiones dat ambitiosis & avaris, publicum bonum postponendi privatis gratiis.*

S E C T I O IX.

De Viris illustribus.

§. XLVIII. Virorum toga & sago; mari & terra, rerum gestarum magnitudine illustrium tantus est numerus, ut de iis silere, quam pauca referre præster.

(1) De Gulielmi I. Mauricii, Friderici Henrici, Gulielmi II. & III. rebus præclare gestis. (2) Fata tristia Johannis ab Oldenbarnefeld, & Hugonis Grotii, vid. Aubery memoires. (3) De Fr.

Arfenio, Dn. de Somelsdyck, Bayle in diction:
 (4) De fratribus Wittii, Histoire de Corneil
 & Jean de Wit, & Neufville Histoire de Hol-
 lande. (5) Everardus de Weede, Antonius
 Heinsius, Jacobus Borellus, Wilhelmus de Ha-
 ren, aliique viri magni. (6) Grotius lib. VII.
 Hist. ad A. 1598. *In regnis maximarum rerum
 administri non latent. In Batavis cuncta concilii
 nomine perscribuntur: auctorum nulla memoria,
 quos etsi noveris, laudandi locum ambitiose quæ-
 sisse videaris, nec plurium vites offensas, quibus
 aliena gloria pro exprobatone ignavia est.*

S E C T I O X.

De Scriptoribus Belgii Fæderati.

XLIX. Belgii federati antiqua Ub-
 bo Emmius, in Frisia; Hadrianus Junius
 in Batavia & Grotius de antiquitate reip.
 Batavicæ: Geographiam antiquam &
 mediæ ævi Menso Altingius; recentio-
 rem Boxhornius in theatro urbium Hol-
 landiæ & Luytsius descripsere.

(1) Rutgerius lib. III. Var. lect. c. 13. *Ab-
 sit, ut juveniliter magni viri, Had. Junii mani-
 bus insultare velim. Optime, si quisquam, de Ba-
 tavia nostra meritus est. Sed cum ingenti ausu
 viam ingressus esset nullius, ut ille ait, tritam
 solo, non potuit, quin omnibus destitutus, non-
 nunquam laboretur.* (2) Grotii libellum aureum
 vocat Conringius de Finibus Germ. c. 28. Ipse
 append. epist. 107. ait: *Notas se quasdam ad
 cum*

eum librum scripsisse, quæ probationes ibi dictorum continerent, sed eas cum aliis chartis sibi ablatas esse. (3) De Ubbone Emmio Janus Doufa lib. II. Annal. pag. 75. *Supervacuum existimo, ea iterare, quæ ab Ubbone Emmio, legitimo Frisicæ suæ Historico, fidelissime sunt perscripta. Cujus ea in Patriæ suæ antiquitatibus investigandis curiositas, ea religio fuit, ut (meo quidem animo) parum, seu potius nihil, aliorum industrie reliquum fecisse videatur.*

§. L. Recentiora Beza, Heda, Joh. de Leidis, Doufa, Grotius, Metteranus, Strada, Reidanus, Meursius, Heuterus, Vossius, Hooft, Borr, Wicquefortius, Clericus, Basnage aliique complures memoriæ mandarunt.

(1) Joh. de Beka, Batavæ historiæ primus scriptor Christianus, sec. XIV. Guil. ab Heda sec. XVI. (2) Gelrica Pontanus & Schlichtehorst; Hollandica Goudhoven & Veldenarius: Zelandica Eyndius, Reigersbergius & Smallegange: Trajectina Hortensius & Matthæus: Frisica Emmius, Suffridus Petri, Schotanus & Winsemius dederunt. (3) Grotius, ob Taciti imitationem obscurus, sed optimus scriptor, usque ad inducias; quem haud eadem felicitate Bailletus, sub nomine Neufvillii continuare voluit. (4) Stradam, collegio morali magis, quam aulæ aptum, Galluzius continuavit, Rier vertit Gallice Schurtzfleischius disp. 51. pag. 6. *Strada notari debet, non modo quod plerasque conciones finxisse videatur, sed etiam quia nimis interdum est in scribendo mordax, in excusando frigidus, in judicando præceps, ac verbo, studiosus partium, ut qui operæ pretium facturi sunt legendo,*

gendo, cum eo merito conjungant Emm. Metteranum, Janum Douvam & Meursium; quanquam & Reidano concedat Metteranus, & redarguat hunc quoque doctissimus Miræus. (6) Fata Wicquefortii aduersa, in Gallia, ob Tellierii odium, Pufendorf lib. VII. Rer. Brand. pag. 437. & Basnage enarrarunt, in Præfat. du Gouvernement, pag. 5.

§. LI. Ad statum politicum, & reip. fundamenta cognoscenda, Grotii Apologeticus, Leo ab Aitzema, Boxhornius, Guicciardinus, Schoockius, Laetius, Temple, Basnagius, variique anonymi profunt.

(1) De Grotii Apologetico Conringius p. 3. Thef. rerump. p. 166. *Hic liber, cum viverem in Batavis, erat prohibitæ lectionis. Hodie in Hollandia liber ille est in summo pretio, & merito nunc omnes credunt, illum continere ipsissima reip. fundamenta.* (2) Leonis ab Aitzema, Nobilis Frisii & legati civitatum Hanseaticarum, Saken van Staat en Oorlog, a Silvio continuatæ. (3) Durum de istis judicium Wicquefortii de l'Ambass. p. 1. pag. 172. *Ce que l'Auteur y ajoute du sien, ne vaut pas la Gazette, de quelque façon, qu'on puisse le prendre; il n'a point de stile, son langage est tout a fait barbare, & n'est qu'un chaos, que tout le composé de son ouvrage.* Ejus *tierfelde Leeuw*, non minus ac alia ejus, lectu dignissimus. Vid. Bayle in Aitzema. (4) Boxhornii, de statu confederatarum provinciarum Belgii commentariolus, sæpe excusus. (5) Martinus Schoockius in Belgio Federato sæpe in minutiis hæret: meliora ejus de Justitia belli & de Pace perpetua Belgarum scri-

scripta. (6) Basnage description historique du gouvernement des Provinces unies, Annalibus præmissa. (7) Adde Bizot Histoire metallique de Hollande, & Gerhard van Loon Beschryving der Nederlandsche Histori penningen: ex quibus hoc caput exornare constitueram, sed ob temporis angustiam, in aliud tempus id differendum fuit.

E R R A T A:

Pag. 10. lin. 22. lege *lib. II.* Pag. 16. lin. 25. *omnis*
Pag. 18. lin. 1. *cent. III.* Pag. 31. in fin. *Oforius:*
Pag. 98. lin. 2. p. 1. *Obs.* 4. Pag. 192. n. 1. 1663.
Pag. 211. n. 3. *Pretre* Pag. 241. med. *Sectio II.*
Pag. 247. lin. 3. *colore* pag. 275. §. 54. lin. 3. *Philippus V.*
Pag. 313. lin. 7. *Crudeli.* Pag. 336. lin. 9.
Amstelodamense Pag. 345. §. 30. *exercet.* Pag. 348.
lin. 10. *octodecim.*